

SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
ET
VE RI TAS
CHRISTO ECCLESIAE


HARVARD COLLEGE
APR 1 1901
LIBRARY

I.

OBSERVATIONES

IN

ORATORES ATTICOS,

SCRIPSIT

CAROLVS FRIDERICVS SCHEIBE.

Qui in arte critica factitanda hodie versantur, plerique recte sentiunt ad ipsos esse fontes redeundum, e quibus ipsa illa ars quasi profluxerit atque emanaverit, libros dico manu scriptos, quibus nuper accuratius collatis, diligentius pervestigatis atque ab interpretibus cum maiore et cura et fide usurpatis cognitum est, quot coniecturis inutilibus saevitum sit in antiquos scriptores quantoque corrigendi omnia et quasi arrodendi studio ac paene pruritu usi sint critici, alii scilicet, ut sagacitatem ingenii vel alacritatem ostentarent, alii nimia ac praepropera veri arripiendi cupiditate provocati. Sed ut fit, hoc vitium dum animadverterunt facile cauteque evitarunt, in contrarium delapsi et tantopere quorundam praestantia codicum mscr. ac splendore capti sunt ac paene occaecati, ut aut quae explicari et excusari nullo pacto possent, explicarent et excusarent, modo essent in illis libris reperta, aut quae etiamsi in codicibus reperta omnibus tamen offensioni esse deberent, negligerent atque intacta relinquerent, denique si quae elegantiora, argutiora, insolentiora, atque impropria deprehendissent, grammatici manum non agnoscerent, qui magis Graece aut Latine, quam ipse scriptor loqui voluisse videretur. — Quae quidem quum in aliis scriptoribus tum maxime in oratoribus Atticis observare licet: postquam enim Imm. Bekkerus molestissimum, ne dicam fastidiosum laborem cum collatione librorum mscr. coniunctum suscepit, susceptum fortiter superavit, maior in dies opera dari coepta est, ut e singulis certe oratoribus multae tenebrae dissiparentur, quibus antehac iacebant obscurati. Sed bene tenendum est, singulis tantum

oratoribus, velut Demostheni et Aeschini hanc lucem affulsisse, in alios non usquequaque diffusos, sed non nisi raros sparsos esse radios. Itaque non una est emendandorum oratorum ratio, sed admodum diversa. Quoniam enim ad orationes Antiphontis, Andocidis, Lysiae atque ex parte etiam Dinarchi, Lycurgi et Isaei ne a Bekkero quidem tot ac tales sunt codices adhibiti, ut a plerisque certe vitiis purgatae esse videantur, consentaneum est, in his oratoribus latius pertinere coniecturarum et suspicionum regnum, quam in Aeschinis, Demosthenis, Isocratis orationibus, in quibus corrigendis curandum est potius, ut vel scripturae optimorum librorum diligentius, quam factum est antea, restituantur, vel si minus ipsae veram speciem referant, ex iis vera species eruatur, videndumque, ne codicem, tenentem illum quidem proba multa atque a ceterorum codd. mendosis scripturis mirum quantum abhorrentia, sed quem tamen accuratius rem perscrutati interpolatum esse cernimus, normam quasi ponamus, quam e vestigiis sequamur: id quod uberius demonstrabimus. —

Ut enim illa quae notavimus in oratoribus recensendis vitia revera commissa esse probemus quaque ea ratione evitanda sint ostendamus, talis erit huius scriptionis ordo, *ut primum codicum quorundam, secundum quos singularum orationum aut oratorum instituta recensio est, sublestam esse fidem efficiamus: deinde optimos codices parum adhuc diligenter religioseque usurpatos esse commonstremus: denique coniecturas in locos aperte corruptos, quibusque a libris mscr. salutem nullam videmus allatam, subiungamus.* —

Cap. I.

DE FIDE CODICIS LAURENTIANI C IN LYSIA ET CODICIS REGII I IN AESCHINE RECENSENDO.

§. 1.

DE FIDE CODICIS LAURENTIANI C.

Etsi accuratiorem codicum, quos contulit Bekkerus, descriptionem frustra quaerimus, tamen ex ipsis eorum scripturis non est ita difficile, quinam sint aliis praestantiores, cognoscere. Ita nemo est in lectione oratorum Atticorum vel aliquantisper versatus, quin codicem Σ in Demosthenicis oratio-

nibus, codicem Γ Urbinatem in Isocrateis, in Lycurgi vero Leocratea, in Andocideis, Dinarcheis codd. AB optimos esse intellexerit.

De *Aeschine* quidem atque *Lysia* difficilius videtur esse iudicium: e duobus enim potioribus Lysiae codicibus is, cui Bekkerus plurimum tribuit, cod. C. nullum dubium est, quin interpolatoris manum permultis in locis expertus sit, quod saepe fugit aciem Bekkeri. — Nam ut non negem multis locis huius ope libri veram speciem esse redditam *), haec tamen omnia aut e coniectura profecta aut accuratius, quam a ceteris librariis factum est, ex eo codice videntur esse descripta, quem omnium, quos nunc habemus, parentem esse cum Emperio in egregiis observationibus ad Lysiam existimo. At eundem librarium permulta nonnisi de suo ingenio dedisse, ideoque aut in scripturis ceterorum librorum acquiescendum aut ex eorum corruptelis emendatiora eruenda esse e multis locis efficitur, in quibus aut infelicius cessit correctionis negotium aut planiora obscurioribus, magis vulgaribus elegantiora praeferuntur, explicantur uberius si quae ad intelligendum difficiliora esse videantur, denique concinnitas quaedam orationis ex

*) Ut Lysiae or. 3. §. 17. p. 194. Bekk. *οὕτως ἀνόμως καὶ βιαίως*, ubi alterum *οὕτως* pone *βιαίως* iure est ab isto cod. omissum: eiusdem or. §. 18. *μάχης δὲ* et §. 28. *ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι* et or. 7. §. 7. p. 218. Bekk. *οὐ θαυμαστὸν δ'* particula vinciens *δὲ* huic libro soli debetur: idem or. 3. §. 25. *βουλομένους* exhibet, §. 43. in verbis *τό γ' ἐκείνων* omittit *ἐπ'* ante *ἐκείνων*, additque §. eadem *ἂν* in his: *καὶ γὰρ δεινὸν ἂν εἴη* et *νομίζειν* or. 7. §. 39. *ἐγὼ μὲν ὑμᾶς ἡγοῦμαι νομίζειν ὅτι κ. τ. λ.*: porro or. 10. §. 21. p. 238. Bekk. e solo cod. C post *ἀκοῦσαι τὸν πατέρα* (sic enim pro *ἀκούσαντα τὸν πατέρα* scribendum esse Foertschius vidit) verba ad sensum necessaria *ἀπεκτονέναι ἢ τὴν ἀσπίδα* accesserunt. Ita in orat. 13. in Agoratum §. 88. *αὐτῷ δὲ τῷ πράγματι οὐ πιστεύει καλῶς ἀγωνιεῖσθαι* pro *οὐ πιστεύει*, quod debetur codici C, in ceteris libris est: *οὔτοι πιστεύει* aut *οὔτε πιστ.*, unde Reiskius suspicatus erat *οὔτι* aut *οὐχί*. Verum credibile est, syllabam *τε* et *τοι* e sequentibus proximi verbi literis *πι* natam esse: quapropter hoc quoque in loco assentiendum videtur scripturae illius cod. Porro eiusdem or. §. 91. *προδοὺς ἐξ ὧν ἐκεῖνος μείζων — ἐγίγνετο* pro *προδούς*, quod primus C ministravit, legebatur ante Reiskium *προδόσας*, quae forma ut ne Graeca quidem recte iam emendata est Reiskio. Denique eiusdem or. §. 93. *οὐ μόνον τοῦτο διαπράττεσθε* omnino legi oportet cum cod. C pro *τούτῳ*, quod frustra defendendum suscepit Marklandus ita, ut pro *συμπράττετε τούτῳ* sit, quemadmodum dicatur *πράττειν τινί*: atque hoc quidem recte. Nec tamen inde colligi potest; item *διαπράττεσθαι* ita strui, quippe cui adhaerescat *perficiendi* notio: deinde oppositio, quam inesse bene vidit Reiskius, dativum *τούτῳ* prorsus respuit, praesertim quum *τουτονί* praegrediatur. Quos quidem locos multis aliis augere quivis poterit.

angustis anxiisque grammaticorum rhetorumve praeceptis captatur. Quocirca dolendum est, Bekkerum, ubicumque per sententiam licebat, huic libro obsecundasse: quanquam hic illic de fide eius ipse videtur dubitasse, ut or. 12., quae est in Eratosth. §. 48.: *Τῶν μὲν μαρτύρων ἀκηκόατε· τὸ δὲ τελευταῖον εἰς τὴν ἀρχὴν καταστὰς ἀγαθοῦ μὲν οὐδενὸς μετέσχεν, ἄλλων δὲ πολλῶν*, ubi quod partim explicationis, partim concinnitatis gratia in cod. C: *κακῶν δὲ πολλῶν* correctum est, in ordinem verborum recipere non est ausus. Nec magis *ἀφειμένων* intulit in verbis or. 3. *πρὸς Σίμωνα* §. 25.: *μήτε ἀφειμένους τῶν ἐγκλημάτων μήτε ἀνάγκης ἡμῖν μηδεμιᾶς γενομένης*: neque in or. 7., quae est de sacra olea §. 13. *ἀποφαίνοντας ἥτις ὠφέλεια τοῖς ἀδικήσασιν ἐγένετο* cum C correxit *εἴ τις*, nec interpretationem verborum in or. 10. §. 12. *καὶ αὐτὸς μὲν Θέωνι κακηγορίας ἐδικάσω εἰπόντι σε ἐῤῥιφέναι τὴν ἀσπίδα*, minime necessariam, ne dicam puerilem: *ὅτι σε εἶπεν* *) probavit. Sed quum ex his locis non nimium esse isti libro confidendum perspexisset Bekkerus, tum aliis quoque doceri poterat, ut breviter, sed luculenter et acute, ut solet, Emperius l. l. p. 5. ostendit. Praeter nonnullos eorum, quos hic diligentius excussit locos alios mihi multos annotaveram, qui quam hic liber refertus sit correctionibus et lacunis planum facerent: de quibus paucos delegisse satis erit.

Atque omittit quidem in Epitaphio (2.) §. 21, 8. verba ad sententiam necessaria *ᾧ τινι χρὴ τρόπῳ τοὺς*, eiusd. or. §. 22, 1. *ἔτι δ' αὐτοῖς ἐκ τῶν*

---

*) Negligenter hanc codicis C scripturam ante eam posuit, quae est in codice Palat. X. Sed non uno loco tales negligentias in indicandis librorum scripturis animadvertere licet, ut apud Antiphontem or. 5. de Herodis caede §. 29. *ἐχώρει* in contextu, infra in annotatione est: *ἐνεχώρει* AB: *ἐχώρει ς.*; eiusdem orat. §. 54. *διαφέρον* in contextu, in annotatione: *διάφορον* Reiskius: *διαφέρον ς.*; apud Andocidem (1.) de mysteriis §. 57, 4. in contextu *δυοῖν*, in notis *δυεῖν*, tanquam esset receptum: apud Lysiam (13.) contra Agorat. §. 39. *ὁ δ' ἥτις ἦν*, infra *εἴ τις*] *ἥτις* CX; in eadem orat. §. 11. *καὶ τὰ κακὰ* in textu, infra tamen: *καὶ τὰ κατὰ*] *καὶ τὰ κακὰ* X. om. C.; or. 14. in Alcib. A. 27, 2. quanquam in textu est *οὐδ' ἂν ἀποθανόντος*, infra tamen *οὐδὲ* tanquam in ordinem verborum receptum praeponitur Reiskii conjecturae *οὐδ' ἂν*; or. 33., quae inscribitur *Ὀλυμπιακὸς* §. 9, 4. *ἡμαρτηκόσιν*, in annotatione *ἐξημαρτηκόσιν*] *ἡμαρτηκόσιν* T.; or. 34. *περὶ τῆς πολιτείας* §. 7, 1. *ἐὰν μέν*, in annot. *μὲν*] *μὴν* T.; apud Demosth. de F. Legat. (19.) §. 148, 4. idem cod. *Σ γε* et deinde *μὲν γὰρ* habere perhibetur; eiusd. or. §. 241. *ὑπάρχουσιν* et *Σ Υ* et ceteri codd. habere dicuntur; in Midiana (21.) §. 101., 6. *του* et *ποι* habere perhibetur *Σ*. Alia multa. Sed haec quis non libenter condonabit viro, qui tantam molem suscepit? —

et linea 2: ὡς εἰ μὲν πρότερον: §. 24, 2. ἀποθανεῖν et lin. 4. τὰς μὲν, 5. adeo omnia, quae inter verba §. 24. τὴν δ' ἐκ τῶν κινδύνων μνήμην usque ad §. 28. κατὰ τὸ στενώτατον τοῦ Ἑλλησπόντου τὴν πεζὴν leguntur in ceteris codd., in or. (3.) πρὸς Σίμ. §. 10, 4. λαβὼν — πόλεως, or. (8.) κακολογιῶν §. 5, 2. λέξω — καὶ διὰ, or. (12.) in Eratosth. §. 50. τοῖς τριάκοντα, or. (31.) contra Philonem §. 10, 5. τινὸς — συγγνώμης, atque ita multa alia, quae longum est omnia afferre. — Deinde saepius variata est *verborum collocatio*, uti in or. in Eratosth. §. 28. 72. 83., de olea sacra §. 38. 41., contra Philonem (31.) §. 11.; *crasis* solutioni praeoptata eiusd. or. §. 8. τἀναντία; *insolitae formae* usurpatae: ut or. (21.) ἀπολ. δωροδοκίας, §. 7. φρεάρριος et Θρασύλλου, or. (23.) contra Pancl. §. 7, 2. ἔννη duplici litera ν, et eiusd. or. §. 10. ἀντιγράψεως pro ἀντιγραφῆς, or. (28.) contra Ergoclem §. 12. Ἁλικαρνασοῦ et §. 17. Ἁλικαρνασεῖς. Sed iam satis de his, quae ad solas formas vocabulorum spectant. —

Correctiones autem codice C permultas contineri primum locus ostendit or. (13.) *contra Agorat.* §. 20: ἵν' εἰδῆτε ὅτι τὰ ψηφίσματα τὰ ἐξ ἐκείνης τῆς βουλῆς οὐκέτι εὐνοίᾳ τῇ ὑμετέρᾳ, ἀλλ' ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου — ἐλέγετο, καὶ ὡς τοιούτοις οὖσιν αὐτοῖς τὸν νοῦν ἧσσον προσέχητε: ibi ἧσσον e coniectura additum a Reiskio probavit Bekkerus, Cod. C μὴ προσέχητε, sed neutro opus est, immo omisso utroque sententia longe fortior exit et significantior haec: „et ut eos intueamini, quippe qui tales sint: nos, und daſs ihr sie *als solche* betrachtet.“ Idem probat, qui et ipse est ab Emperio excitatus locus *eiusd. or.* §. 24. ἀπιόντες ᾤχοντο εἰς ἄστυ, ubi cod. C: εἰς τὸ ἄστυ, at articulo opus est nullo. Etenim quae res *semel* tantum inveniuntur ideoque unum quoddam iam per se efficiunt atque nominis proprii sunt instar, eas ornesne articulo an non, ex eo pendet, utrum eas ab aliis rebus discernere velis, an per se seorsum cogitare: si *discernere* voles, *addendus articulus: sin minus*, addatur an omittatur, nihil refert. Ergo hac in re libris mscr. obsecundandum est et sensui recto, id quod saepe neglectum a viris doctis. Nonnulla, quae huc faciunt, allata sunt a Bernhardyo synt. p. 317. Adiecisse quaedam iuvabit. Et Reiskio quidem articulus iniuria offendiculo fuit in loco persimili eiusdem or. §. 80. εἰς πόλιν, et in or. in Eratosth. §. 16. ἐκεῖνον πέμπω εἰς ἄστυ, eiusd. or. §. 55. τοῖς ἐξ ἄστεως, sed §. 54. οἱ δὲ εἰς τὸ ἄστυ ἐλθόντες. V. Foertsch. comment. crit. de locis nonn. Lys. et Dem. p. 18 sq. Saepissime eadem de caussa est etiam ad voc. ἀκρόπολις omissus, ut apud Demosth. Phil. III. §. 41., unde apud Aeschinem de F. Legat. §. 174. tuenda cum Bekkero scriptura plurimorum librorum εἰς ἀκρόπολιν, item §. 175. tres optimi habent: εἰς ἀκρό-

πολιν, et in Lycurgi Leocr. §. 117. est ἐξ ἀκροπόλεως. Lys. or. (32.) contra Diogit. §. 8. εἰς ἄστυ ἀναπέμπει.

Sed redeundum est ad cod. nostrum, cuius librarium, ubi quid sibi vellent librorum scripturae, nesciebat, ad correctiones confugisse luculenter apparet ex loco or. (17.) περὶ δημοσ. ἀδικημάτων §. 4.: καίτοι τοῦτό γε παντὶ εὔγνωστον, ὡς οὐκ ἂν παρέλιπον, εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τε ἦν δημεύειν, οἱ πάντα τὰ Ἐράτωνος ἀπογράφοντες — ἐγὼ δὲ πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι. Nam quum quae in vulgatis exarabantur καὶ λόγῳ πολὺν — κέκτημαι, et constructionem laedere et sensu destituta esse apto videret librarius, dedit, quod idem constructionem vitiat turbatque argumentationis seriem: Reiskius ex vulg. acute exputavit: καὶ ἃ λόγῳ: quae coniectura hanc sententiam fundit: „nihil illi reliquissent, qui omnia bona Eratonis, *etiam ea, quae* ego iamdudum possideo, in indices redegerunt.“ At haec aperte iis repugnant, quae paullo ante monuerat orator: ὅτι μὲν τὰ Ἐράτωνος δικαίως ἂν ἡμέτερα εἴη, — ὅτι δὲ πάντα δημεύεται: ex quibus *omnia* bona Eratonis iure eius fuisse elucet, qui hanc orationem habet, nec illum quicquam praeterea possedisse. Si igitur bona Eratonis publicabantur, *non poterant alia publicari, quam ea quae erant oratoris*: unde nihil dubium esse potest, quin legi oporteat: εἴ τι ἄλλο — οἷόν τε ἦν δημεύειν οἱ πάντα τὰ Ἐράτωνος ἀπογράφοντες, ἢ ἃ ἐγὼ πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι: „Atqui nemini non hoc est perspicuum, illos recensores in conscribendis tabulis (ἀπογραφαῖς) suis non fuisse quicquam praetermissuros, si quid aliud, qui omnia Eratonis bona recensuerant, in bonis Eratonis potuissent publicare, *quam* quae ego iam dudum possideo.“

Manum correctoris agnosco etiam in verbis orat. (19.) pro bonis Aristoph. §. 10. μὴ οὖν προκαταγιγνώσκετε ἀδικίαν τοῦ εἰς αὐτὸν μὲν μικρὰ δαπανῶντος, ὑμῖν δὲ πολλὰ καθ᾿ ἕκαστον τὸν ἐνιαυτόν, ἀλλ᾿ ὅσοι καὶ τὰ πατρῷα καὶ ἄν τί ποθεν λάβωσιν, εἰς τὰς αἰσχίστας ἡδονὰς εἰθισμένοι εἰσὶν ἀναλίσκειν. — Nam verbi λάβωσιν loco, quod librarius istius codicis eadem assequutus esse videtur coniectura, in quam Taylor et Marklandus iam ante repertum hunc librum mscr. inciderant, in ceteris legitur μὴ δῶσιν, quod Reisk. alio modo mutandum esse sensit quidem, non tamen plane assequutus est. Delitescit vero, nisi mea me opinio fallit καὶ ἄν τί ποθέν πῃ ἔχωσιν: quicumque paterna bona et si quid *nescio qua ratione* aliunde ceperint, in turpissimas insumunt voluptates. Utcumque verbum δῶσιν corriges, illud indubitatum esse puto, inserendam esse part. πῃ, quae multum habet acuminis atque ironiae. — Nec puto quemquam esse, qui exempla particulae

lae-πῇ enunciationibus hypotheticis insertae requirat: si tamen quis est, habeat ipsum Lysiam or. (28.) contra Ergocl. §. 14. ἵνα κακῶς εἴ πη δύναιντο, ὑμᾶς ποιήσειεν. Thucyd. I, 49. εἴ πη πιέζοιντο, alia.

Eodem modo obscurata est scriptura ceterorum codd. eiusdem orat. §. 38. εἰ δημεύσαιτε τὰ Τιμοθέου — ἔλαττω δὲ ἐξ αὐτῶν λάβοιτ' ἢ ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους γεγένηται, τούτων ἕνεκα ἀξιοῖτε ἂν τοὺς ἀναγκαίους τοὺς ἐκείνου τὰ σφέτερ' αὐτῶν ἀπολέσαι; Etenim pro ἐλάττω δὲ, quod in solo cod. C est, in ceteris libris omnibus exaratur ἐλάττω ἐὰν, quod ipsum quidem ferri nullo modo potest, sed mutandum erat in ἐλάττω δ' ἂν ἐξ αὐτῶν λάβοιτ'. ἢ ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους: ἂν enim particula propterea est oblitterata, quod eam conditionalibus enunciationibus inseri posse ignorabant: potest autem, si ipsis his enunciatis subest conditio, ratione praegressae particulae hypotheticae non habita. Quae quidem observatio quam cadat in nostrum locum, concedet, qui sententiam hanc esse viderit: „si publicaretis bona Timothei — quod utinam ne fiat — atque — *hac publicatione revera instituta* — pauciora ea esse inveniretis etc.“ — In altero igitur membro hypothetico ἐλάττω δ' ἂν — λάβοιτε et continuatio prioris membri inest et eiusdem latet apodosis: plene enim ita se haberet oratio: εἰ δημεύσαιτε, ἐλάττω ἂν λάβοιτ' ἐξ αὐτῶν· εἰ δὲ ἐλάττω λάβοιτε, τούτου ἕνεκα ἀξιοῖτε ἂν — κ. τ. ἑ. Haec est enim huius usus origo. Vid. ante omnia Hermannus de part. ἂν in Opusc. IV. p. 17. 4. Demosth. Phil. I. §. 18. οὗτοι παντελῶς οὐδ' εἰ μὴ ποιήσαιτ' ἂν τοῦτο, — εὐφρόνητόν ἐστιν. Xenoph. Anab. IV. 8. 7. ibique intpp.

Porro in or. (24.) de invalido §. 3. εἰ γὰρ ἐξ ἴσου τῇ συμφορᾷ καὶ τὴν διάνοιαν ἕξω καὶ τὸν βίον διάξω, τί τούτου διοίσω; istius codicis culpa reiectum est a Bekkero, quod ceteri codices tenent omnes τὸν ἄλλον βίον. Falso. Non enim solum quum res eiusdem generis comparantur, sed etiam quum novum quiddam, quod ipsum est de alio genere, quam quod praecessit, additur praegressis, locus est vocabulo ἄλλος: qui quidem usus totam Graecitatem inde ab Homero pervasit. Atque apud Homerum quidem nota sunt haec ex Odyss. I. v. 132. II. v. 93. et V. v. 356. cfr. Nitzsch. vol. I. p. 29. 83. vol. II. p. 55. — Multi sunt alii aliorum scriptorum loci imprimisque Xenophontis: nos tamen nonnisi oratorum quosdam producamus. Apud nostrum oratorem in or. (7.) de olea sacra §. 30. ἐνθυμούμενος καὶ ἐκ τῶν εἰρημένων καὶ ἐκ τῆς ἄλλης πολιτείας. or. (18.) ὑπὲρ τῶν τοῦ Νικ. ἀδελφοῦ §. 11. οἷς μάλιστα προσῆκον καὶ διὰ γένος καὶ διὰ πλοῦτον καὶ διὰ τὴν ἄλλην ἀρετὴν τιμᾶσθαι. or. (26.) §. 9. ὡς ἐν τῷ ἕκαστον δικαίως ἄρχειν ἥ τε πολιτεία καὶ τὸ

ἄλλο πλῆθος τὸ ὑμέτερον σώζεται: in Aeschinis Timarchea §. 86. τὴν ἐκκλησίαν καὶ τἄλλα δικαστήρια: eiusd. or. de Falsa Leg. §. 7. περὶ δὲ τῆς ἄλλης κατηγορίας post prooemium, plane ut apud Demadem περὶ τῆς δωδεκ. §. 7. p. 488. Bk. καὶ τῆς ἄλλης μου πολιτείας κατηγορεῖν item post prooemium: in Demosthenis Midiana §. 54. τὰς μὲν ἄλλας θυσίας, quum supra de μαντείαις dicatur. Fere omnibus his locis erant, qui voc. ὅλος suffici aut, ut librarius codicis C., ἄλλος prorsus exterminari mallent, de qua re non cogitassent, si per ἄλλος novum quiddam adiici idque *praeterea* verti posse cognitum habuissent. —

Atque haec quidem hactenus de fide codicis C.

§. 2.

DE FIDE COD. REGII I IN AESCHINE RECENSENDO.

Quod de cod. Laurent. C. docui, idem in hunc Aeschinis librum quadrare, mirum, quod praeter Orellium in edit. Bremiana nemo dum pronunciavit. In recensendis enim Aeschinis orationibus duplex nobis est relictum codicum genus, unum, ut opinor, antiquius, complectens codices Bekkerianos a b g l m et nonnunquam postea interpolatos duo d f, alterum recentius, continens codd. e k l, probos interdum illos quidem, interpolatoris tamen manum persaepe prodentes. Ad priorem illam familiam referendus est Havniensis solam Timarcheam continens, cuius scripturae in ed. Teubneriana a Dindorfio sunt editae in publicum *). Ad alterum, quod posui, codicum genus primum pertinet cod. *h*, quem vitiosissimum esse permulti saepe loci arguunt, itemque Reiskii cod. Meadianus, plerumque cum isto conspirans. Pluris faciendus est Helmstadiensis eodem referendus, sed qui tamen saepius cum *cod. i* consentiat, de quo hic sumus uberius expositori: est enim a Bekkero dignus habitus, secundum quem tantum non omnem orationis de falsa legatione recensionem institueret. Quo id iure fecerit ille, intelligetur, ubi aliquot locis iccirco obscuratis lucem attule-

---

*) Hunc consensum probant loci Timarcheae, ubi §. 5. omittuntur in eodem verba, quae et ab istis omittuntur καὶ ἀσελγῶς βιούντων, §. 24. κοινὴν (quod sane est eiiciendum) ibid. pro ὑπολαβὼν legitur ἀπολ. et ἅμα δὲ τοὺς pro ἅμα δὲ καὶ τοὺς et νεωτέρους pro νέους, §. 30. διαθεῖναι pro διαθήσειν, §. 35. τῆς αὐτῆς pro τοῖς αὐτοῖς: et sic sexcentis orationis Timarcheae locis eundem consensum reperiet, qui volet ad hanc rem attendere.

rimus, in quibus Bekkerus *dissentientibus reliquis codd. omnibus* codicem i est sequutus.

§. 66. Libri τὸ ψήφισμα δὲ: sed i et Bekkerus: τὸ δὲ ψήφισμα. At illa particulae δὲ collocatione nihil est frequentius, velut in Ctesiph. §. 207. Timarch. §. 4. Lycurgi Leocr. §. 8. 27., quarto loco apud Demosth. de cor. §. 106. κατὰ τὴν αὐτὴν δὲ ἀναλογίαν. Demad. §. 17. p. 490. Bk. ἐν τῷ δήμῳ δ' ἀλείψαντες, quin etiam quinto loco apud eundem §. 5. ἡ παρ' ὑμῖν ἐλπὶς δὲ δικαία. — Plura qui volet, adeat Klotzii quaestt. critt. p. 67. sqq.; qui verum multorum locorum ordinem sobrie ex optimis codd. revocavit.

Porro e cod. i §. 115. Bekkerus καὶ χειρὶ καὶ ποδὶ suffecit in librorum omnium scripturam: καὶ ποδὶ καὶ χειρὶ, ut mihi quidem videtur, vel propter locum in Ctesiph. §. 109. extr. καὶ ἐπὶ τούτοις ὅρκον ὤμοσαν — βοηθήσειν τῷ θεῷ καὶ τῇ γῇ τῇ ἱερᾷ καὶ χειρὶ καὶ ποδὶ καὶ πάσῃ δυνάμει· et §. 120., ubi eadem leguntur, vel propterea, quod in huiusmodi loquutionibus certus quidam ordo constanter observari videatur. Hoc ut non negem vulgo fieri, quemadmodum nobis quoque plerumque in usu est: mit Händen und Füſsen, nunquam tamen ab hoc ordine discedi posse nego. Quasi vero tam anxii fuissent cum Graeci tum maxime Aeschines, quem omnino negligentiorem in dicendo fuisse videmus, ut dicere iis exempli gratia non liceret οἱ ἱππεῖς καὶ οἱ πεζοὶ, quod praeter libros saepius interpolatos e h k l omnes codd. habent in Ctesiph. §. 140., quoniam οἱ πεζοὶ praecedere vulgo solent: aut ut ibid. §. 211. probanda non sint verba sic collocata ἐπένθησε καὶ ἐκείρατο pro eo, quod assolet ἐκείρατο καὶ ἐπένθησε inque istis codd. exaratum invenitur, aut ut coniungi non possint τέκνα καὶ γυναῖκες, uti in Xen. Anab. I. 4. 8. legitur pro vulgari γυναῖκες καὶ παῖδες ibid. IV. 1. 8. In his enim obtemperandum esse iudico plurimis iisque optimis codicibus. —

Mox §. 116. ἀπεφηνάμην ὅτι ἐμοὶ δοκεῖ δίκαιον εἶναι μὴ περιορᾶν κατεσκαμμένας τὰς ἐν Βοιωτοῖς πόλεις: cod. i δοκοίη, unde Bekkerus de suo δοκοῖ. Verum δοκοίη vel ipsum servandum fuisset (ut in or. de f. Legat. §. 57. εἰ τοῦτο εἶναι δοκοίη σύμφορον, ibidemque §. 157. μαστιγοίην. Demosth. de cor. §. 21. δοκοίη §. 27. ἐπιχειροίη, in Leptin. §. 67. δοκοίην *) cf. Bremius ad Isocr. p. 1. excurs. II. c. 2.), si optativus omnino esset necessarius:

*) Quanquam de f. Leg. §. 153. optimus cod. Σ a pr. manu habet ποιοῖ pro ποιοίη.

quod quidem nego, nam post ὅτι ipsa inferuntur Aeschinis tunc dicta. Indicativum recepit etiam Dindorfius. Ipse Bekkerus in eadem §. comparativum τῷ ἐλάττονι recte tuetur contra codd. i et Helmstad., qui ἐλαχίστῳ ex apertissima interpretatione.

§. 123. ἐν μὲν τῇ πρώτῃ πρεσβείᾳ: i et Bekkerus τῇ προτέρᾳ. Sed saepe apud Graecos, minus hac in re accuratos Romanis, πρῶτος est pro πρότερος. Lycurg. Leocr. §. 41., ubi omnes codd. πρῶτον et §. 42. ubi item praeter AB omnes πρῶτον. V. Pinzger. ad Lycurg. p. 199. laudatosque, et in universum Herm. in censura Medeae Elmsleianae in Classical Journ. 1819. XXXVIII. Opusc. vol. III. Eodemque modo fortasse etiam defendendus erit locus Ctesiph. §. 166. τινὲς πρῶτον (i. e. πρότερον, πρὶν φορμοῤῥαφεῖσθαι ἐπὶ τὰ στενά) ὥςπερ τὰς βελόνας διείρουσι: nisi cui scribendum videtur, obscoena quidem sententia, sed quae conveniat huic loco: τινὲς τὸν πρωκτὸν ὥςπερ τὰς βελόνας διείρουσι.

§. 154. ἔστι γάρ τις ἐπιδημῶν ἡμῶν εἰς τὴν πόλιν: i et Bekkerus: ἔστι γάρ τις ἐν τῇ πόλει ἡμῶν ἐπιδημῶν, quod nulli placebit. Illud retinendum esse vidit Bernhardy gr. synt. p. 215.

§. 167. καὶ περὶ τούτων ἀνεπίφθονον λέγειν εἶναί μοι νομίζω: i et Bekkerus εἶναί μοι λέγειν. Superiore loco conversio ex insolentiore usu praepositionis εἰς, hic ex insolentiore verborum collocatione in vulgatiorem illotam manum correctoris luculentissime prodit.

Potiorem scripturam obscuravit hic codex etiam §. 181. οὐ μισόδημος ὢν —, ἀλλὰ μισοπόνηρος, οὐ τοὺς Δημοσθένους ὑμᾶς ἐῶν προγόνους μιμεῖσθαι (οὐ γάρ εἰσιν), ἀλλὰ τῶν καλῶν τῇ πόλει βουλευμάτων ζηλωτὰς εἶναι παρακαλῶν. Habet enim, Bekkero assentiente: οὐδὲ τοὺς Δημοσθένους κ. τ. λ. Sed in repetita per anaphoram simplici negatione longe maior vis inest, quam si per vincientem particulam οὐδὲ tollas asyndeton. Eadem vis addita est loco in Ctesiph. §. 137. eo, quod οὐδὲ auctoritate duorum tantum librorum mscr. remotum est in his: τολμᾷ λέγειν, ὡς ἄρα Θηβαῖοι τὴν συμμαχίαν ὑμῖν ἐποιήσαντο οὐ διὰ τὸν καιρὸν, οὐ διὰ τὸν φόβον —, οὐ διὰ τὴν ὑμετέραν δόξαν, ἀλλὰ διὰ τὰς Δημοσθένους δημηγορίας. Sic ap. Demosth. de cor. §. 244. pro οὐκ ἐκ Θετταλίας, οὐκ ἐξ Ἀμβρακίας legebatur antea minus recte οὐδ᾽ ἐξ Ἀμβρακίας.

Agmen claudat locus, qui est §. 175. καὶ Χερσόννησον καὶ Νάξον καὶ τὴν Εὔβοιαν εἴχομεν, ubi articulus omittitur a cod. i et Bekkero. At per articulum insulam orator quasi digitis ostendit, quae est e regione Atticae sita. Hinc intelligitur, quo pacto sit locus Demosthenis de F. Leg.

§. 75. p. 364. R. explanandus, ubi orator plane ut nostro loco *τοὺς — Εὐβοέας τουτουσὶ* dicit in his verbis: *οὐδὲ γὰρ Λακεδαιμονίους διὰ τὴν ἀρετὴν αὐτῶν ποτ᾽ ἐσώσατε, οὐδὲ τοὺς καταρύτους Εὐβοέας τουτουσὶ, οὐδ᾽ ἄλλους πολλούς:* minime igitur demonstratio temporis inest, quam inesse opinatur Schaeferus, sed loci. —

Plures alios locos istius codicis ope a Bekkero necessitate cogente nulla mutatos praetermitto, quoniam et faciliores ad perpurgandum sunt, et iam est ad graviora transeundum. Illud certe effecisse mihi videor, neque codici C. neque i in Lysia Aeschineque recensendis tantum esse tribuendum, quantum tribuit Bekkerus.

Cap. II.

CODICES OPTIMOS RELIGIOSIUS SEQUENDOS ESSE.

Semper optima quaeque sectanda esse nemo non largietur: ea hic sectari, deserere illic, etiamsi quae in eorum locum substituuntur, non multo deteriora esse videantur, inconstantis ingenii est. Una est enim in singulis quibusque rebus veritas, neque in eadem re aliud atque aliud verum esse potest, sed verum alterum, alterum falsum. Sic quorum codicum probatam fere cognovimus fidem, quibusque ipsa scriptoris verba maximam partem expressa esse patet, iisdem est etiam tum obtemperandum, quum aut inter duas scripturas plausu aeque dignas optio datur aut continentur iis, quae sunt a vulgari dicendi ratione remotiora vel si orationis seriem spectas, perturbatiora minusve elegantia, nisi vero haec recto sensui sanaeque menti adversantur, quae cum omnibus rebus humanis tum scriptis monumentis superior esse debet. Sed sive religione quadam pietateque in eas, quae iam pridem propagatae sunt, scripturas, sive novitate rei, sive desidia recentiorum interpretum factum est, ut auxiliis, quae ad nonnullos oratores nunc locupletiora habemus, vel si minus locupletia, at superioribus certe praestabiliora, non tanta audacia, vel ut rectius dicam, alacritate veri recipiendi usi sint, quanta oportebat. Huc accedit, quod regulis quibusdam in angustiorem gyrum compulsis adhuc agglutinati haerent, quam quo liberior, mobilior, laetior, velocibus sententiarum fluctibus quam vinclis verborum astrictior dicendi ratio Graecorum includi possit et coarctari.

Habemus ad principem oratorum Demosthenem emendandum codicem Σ, habemus cod. Urbinatem Γ ad Isocratem, ad Aeschinem probos libros non paucos, inter quos, ut supra ostendi, antiquissimi videntur esse, qui literis a b g l m a Bekkero designantur. Sunt etiam ad Antiphontem, Andocidem, Dinarchum, Lycurgum codices AB digni, quos prae ceteris sectemur: sed in his oratoribus propter paucitatem librorum mscr. non raro est ad coniecturas confugiendum, in iisque saepius etiam in Lysia emendando posita salus est, quippe ad quem persanandum cod. X., quem optimum esse cognoverimus infra, minime sufficiat praetereaque, qui aliquantum emolumenti afferat, inveniatur nullus, nisi vero in codice Laurent. C. tantum inesse auctoritatis censebimus, quantum inesse negavimus.

Ex his consequitur, hunc locum maxime in Demosthenis Aeschinisque orationibus emendandis versari.

Ac primum quidem illa, quam dixi, *libertas cogitandi loquendique* Graecorum oblitterata est a librariis aut ab interpretibus tum maxime, quum ea omissa sunt, quae aut per se intelligerentur possentque facile ex omni sententiarum connexione erui aut usu quotidiano ita trita essent, ut quid esset cogitatione supplendum, paullatim supprimeretur. Huiusmodi autem omissionum non patientes librarii grammaticique ut oratio plene sine intermissione et intercapedine proflueret, nec quicquam cogitationi relinqueretur, sed omnia verbis exprimerentur, compleverunt atque inserserunt, quae sibi, non quae ipsis scriptoribus complenda inserciendaque esse viderentur. Nonnulla hac in caussa errata sustulisse satis erit. —

§. 3.

Primum de correctione cogitabant viri docti, non memores eius moris Graecorum, quo nomen, quod non expressum, ipsum tamen per se notum ac vulgatum, statim intelligeretur ex adiectivis, ad haec ipsa adiectiva omittebant. — Ita in Dem. or. de corona §. 55. p. 244. init. *ἔτι δὲ μὴ ἀναγορεύειν ἐν τῷ θεάτρῳ Διονυσίοις τραγῳδῶν τῇ καινῇ, ἀλλ' ἐὰν μὲν ἡ βουλὴ στεφανοῖ, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ἀνειπεῖν, ἐὰν δὲ ἡ πόλις, ἐν Πυκνὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ*, illud *τῇ καινῇ* et Osannus, aliquot libros sequutus et Hemsterhus. ad Lucian. Timon. §. 51., mutatum ivit in *τῶν καινῶν*, quibuscum sentire videtur Schaeferus. Sed quum nihil usitatius sit loquutione: *τραγῳδῶν ἀγωνιζομένων* vel *εἰσιόντων* *) vel *γιγνο-*

*) Ut apud Aeschinem c. Ctesiph. §. 204. *μελλόντων τραγῳδῶν εἰσιέναι.*

μένων *) *καινῶν*, non est dubium, quin quum diceretur *τραγῳδῶν τῇ καινῇ* nemo non intelligeret statim, quod sit substantivum cogitatione supplendum, scilicet *εἰςόδῳ* vel *ἀγωνίᾳ* **). Similiter apud Aeschinem Ctesiph. §. 231. legitur *ποιητῶν τραγικῶν — ἐπειςαγόντων*, ubi scribendum non esse *ἐπειςιόντων* Bremius docuit, sed idem *δράματα* suppleri volens erravit: est enim e *τραγικῶν* intelligendum *τραγῳδίας*. Quae consuetudo quamvis simplicem habeat explicatum, atque vulgaris potissimum orationis propria fuisse videatur, tamen non ubique locorum perspecta est neque antiquitus ab librariis, neque nunc ab hominibus criticis. Notissima est quidem omissio vocabulorum *δίκη*, *γραφὴ*, *ἔγκλησις*, *γῆ*, *ὁδὸς*, *πληγὴ* (ut Dem. de F. Leg. §. 197.), *ἀνδριὰς* (ut Dem.

---

*) Verbum hoc *γίγνεσθαι* ubi apud Aeschinem de tragoedis legitur (legitur autem bis et Ctesiph. §. 41. *γιγνομένων τραγῳδῶν* et §. 154. *μελλόντων — τῶν τραγ. γίγνεσθαι*), sollicitatum est a Taylore, qui requiri ait *ἀγωνίζεσθαι*, in Aeschinis soloecismos relatum ab Reiskio, non recte, quanquam illud facile concedo, hanc dictionem esse ex vulgari et quottidiano sermone petitam. *γίγνεσθαι* est enim simpliciter *fieri:* nam fiebant Dionysiis tragoedi, i. e. ascribebantur iis, postquam a iudicibus corona ipsis decreta est. Similiter loquutus est Demosthenes in Midiana §. 55. *οἱ χοροὶ πάντες οἱ γιγνόμενοι καὶ οἱ χορηγοὶ*, et eiusd. orat. §. 10. p. 517. extr. *ὅταν ἡ πομπὴ ᾖ — καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί*.

**) Ceterum in verbis huius loci non multo post sequentibus *ἐν Πυκνὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ* quare haeserit Schaeferus, caussa sane fuit nulla. Coniiciens enim ille scribendum esse: *ἐν πυκνῇ τῇ ἐκκλησίᾳ* primum non attendit ad perspicuitatis studium in decretis omnibusque documentis publicis conspicuum, deinde insolens quiddam et hoc quidem loco otiosum intrusit, denique locum in Aeschinis Ctesiphontea §. 34. *'Ακούετε — ὅτι ὁ μὲν νομοθέτης κελεύει ἐν τῷ δήμῳ ἐν Πυκνὶ τῇ ἐκκλησίᾳ ἀνακηρύττειν τὸν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανούμενον*, quo huc respicitur, non minus immutare coactus est. At nihil quicquam supervacaneum esse, ex *triplici* oppositione liquet, quae, ut explicarentur verba decreti, instituta est ab ipso Aeschine hoc modo: *ἀκούετε —, ὅτι ὁ μὲν νομοθέτης κελεύει ἐν τῷ δήμῳ ἐν Πυκνὶ τῇ ἐκκλησίᾳ ἀνακηρύττειν τὸν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανούμενον, Κτησιφῶν δὲ ἐν τῷ θεάτρῳ* (igitur non, ut lege imperatum erat, in *Pnyce*), *οὐ τοὺς νόμους μόνον ὑπερβὰς, ἀλλὰ καὶ τὸν τόπον μετενεγκὼν, οὐδὲ ἐκκλησιαζόντων 'Αθηναίων* (igitur non in *ἐκκλησίᾳ*, ut oportebat), *ἀλλὰ τραγῳδῶν ἀγωνιζομένων καινῶν, οὐδ' ἐναντίον τοῦ δήμου* (sc. Atheniensium), *ἀλλ' ἐναντίον τῶν 'Ελλήνων*. Quare singula separatim profert Aeschines: „Lex iubet promulgari coram populo (non coram Graecis), in *Pnyce* (non in theatro) *τῇ ἐκκλησίᾳ* (qui est dativus ex *ἀνακηρύττειν* pendens, neque vero ex praecedente praepos. *ἐν*, ut interpretes credebant omnes) i. e. concioni rite convocatae, non multitudini ad spectanda poetarum certamina congregatae.“ Quae verba quum apud Aeschinem sint stabilia, ubi explicantur decreti verba, tum sunt apud Demosthenem, ubi legitur ipsum decretum. Praeterea plane sic est apud eundem Dem. de F. Leg. §. 234. p. 414., 5. *ἐν τῷ δήμῳ ταῖς ἐκκλησίαις*.

de F. Leg. §. 330. Leptin. §. 120. p. 493, 17., Phil. I. §. 26.): sed multa adhuc resident peccata, quae mirum est neminem dum animadvertisse.

In oratione Demothenis de corona §. 216. p. 300. ex cod. Σ scribendum: *δίς τε συμπαραταξάμενοι τὰς πρώτας, τήν τ᾽ ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ καὶ τὴν χειμερινήν*, ubi post *πρώτας* in omnibus editionibus addebatur *μάχας*, quod tamen vel ipsum vel simile vocabulum, ut *τάξεις* eliciendum est ex verbo *συμπαραταξάμενοι*. Similia apud Lysiam or. (16.) de Mantitheo §. 15. leguntur: *ἐγὼ διεπραξάμην, ὥςτε τῆς πρώτης τεταγμένος μάχεσθαι τοῖς πολεμίοις*, ubi ad verba *τῆς πρώτης* ex proximo *τεταγμένος* facile assumitur voc. *τάξεως*: quare ne in hoc quidem loco erat, quod interpretes haererent. Porro homines doctos fugit, cum eodem codice Σ in orat. de corona §. 312. p. 329. legendum esse: *καὶ τὸ τελευταῖον Ἀριστόνικος τὸ συνειλεγμένον εἰς τὴν ἐπιτιμίαν, οὐδὲ τότε οὔτε παρῆλθες οὔτ᾽ ἐπέδωκας οὐδὲν*, deleto pone *ἐπιτιμίαν* vocabulo *ἀργύριον*, utpote ex glossatoris manu profecto.

Saepius est etiam a codd. vocabulum *οὐσία* post adiectiva *ἡ πατρῴα* vel *ἰδία* vel talia intrusum, quanquam *τὴν πατρῴαν* quivis statim perspexit intelligi *οὐσίαν*: eadem enim ad hunc usum valet ratio, quam initio explicavimus. Sic in Aeschinis or. c. Timarch. §. 170. *Δημοσθένης γὰρ ἐπειδὴ τὴν πατρῴαν οὐσίαν ἀνάλωκε* vocabulum *οὐσία* a codicibus optimis g l m et pr. a exsulans ego quoque exsulatum miserim: quod quidem non minus interpretes ad unum omnes praetervolavit, quam apud Lysiam or. (13.) in Agorat. §. 47. *πρὸς δὲ τούτοις τὰς ἰδίας οὐσίας ἀπωλέσατε, καὶ τὸ τελευταῖον συλλήβδην ἅπαντες ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἐκ τῆς πατρίδος ἐξηλάθητε*, omnes editores neglexerunt, *οὐσίας*, quod in nullo libro mscr. inveniretur, eiici oportere: quare nec erat, cur Foertschius, qui certe ad hanc omissionem animum adverterat, *τὰ ἴδια* scribendum esse suspicaretur. Vocabulum enim *οὐσία* ita quasi adhaerescit notioni adiectivi *ἡ πατρῴα*, ut addi non magis necesse sit, quam quum dicimus vernacule: das väterliche, mütterliche, ad explendam notionem ubique vocabulum Vermögen adiiciatur requiremus.

Sed interdum etiam quae in ipsa oratione delitescebant, ea ut satisfieret perspicuitati ab hominibus sunt anxiis illata; quanquam ipsos scriptores tam fuse lateque omnia effutire, quae sentirent, noluisse testis locupletissimus est cod. Σ in Demosthene. Hoc modo verbis Demosthenicae orat. de corona §. 313. p. 329. *Ἡνίκ᾽ ἂν εἰπεῖν κατὰ τούτων τι δέῃ, ἐν τούτοις λαμπροφωνότατος* etc. deest *εἰπεῖν* in pr. Σ, supra *τι* positum recens in Σ, ante *τι* habent *κς*. Unde satis luculentum est, verbum *εἰπεῖν* non firmo

firmo stabilitum esse fundamento. Etenim quum sequantur eiusmodi vocabula, quae ad dicendum spectent: λαμπροφωνότατος etc., in antecc. librario visum est ipsum dicendi verbum inferendum esse, quo tamen supersederi posse sententia facile ostendit. Est enim verbum supplendum generalem habens notionem, ut ποιεῖν, πολιτεύεσθαι: „quum quid adversus hos (Athenienses) opus est (sc. gerere, agere), tum es orator volubili lingua praeditus."

Sic et alibi in errores inciderunt et librarii et interpretes, ut in loco huic persimili §. 197. p. 294. ὅπερ δ' ἂν ὁ φαυλότατος καὶ δυςμενέστατος ἄνθρωπος τῇ πόλει, τοῦτο πεποιηκὼς ἐπὶ τοῖς συμβᾶσιν ἐξήτασται, ubi Bekk. codicibus praestantissimis obsequutus post ἄνθρωπος iure omisit quod in ceteris est ποιήσειε. V. Porson. et Schaefer. ad Eur. Orest. 1043. Reisig. in comment. crit. ad Oed. Col. p. 277. Sic in Lycurgi Leocr. §. 29. ὅταν οἰκέται ἢ θεράπαιναι συνειδῶσιν ἃ δεῖ, non erat, cur Taylor coniiceret ἃ μὴ δεῖ, neque cur Reiskius post δεῖ deesse crederet γινώσκειν ὑμᾶς. Simpliciter enim συνειδέναι vel εἰδέναι ex praegresso συνειδῶσιν supplendum est. Cfr. Dem. de Corona §. 220. p. 301., de F. Leg. §. 49. p. 356., Phil. III. §. 11. p. 113.

Eodem morbo locus in or. de Cor. §. 214. p. 299. laborat, ubi in verbis ἃ δ' ἡμεῖς πρὸς ταῦτα ἀντείπομεν, τὰ μὲν καθ' ἕκαστα — τιμησαίμην ἂν εἰπεῖν τοῦ βίου, verbum ἀντείπομεν, quod non invenitur in codicum principe Σ, proscribendum est, opinor, quippe quod possit apte et ex antecc. et ex seqq. intelligi, grammatico tamen anxio atque non in tempore subtili addendum esse videretur. Hoc enim factum est saepissime, ut verbum cogitatione supplendum scioli grammatici agglutinarent, ascirent inde librarii. Purgandi sunt igitur, ut paucos afferam, hi loci. In or. de Cor. §. 130. p. 270. τὴν δὲ μητέρα σεμνῶς πάνυ Γλαυκοθέαν ὠνόμασεν: delendum cum optimis libris postremum ὠνόμασεν, quum ex antecc. τὸν μὲν πατέρα — ἐποίησεν Ἀτρόμητον nullo negotio assumatur ἐποίησεν. Ibid. §. 229. p. 304. lege: ἡ γὰρ ἐμὴ πολιτεία —, ἀντὶ μὲν τοῦ Θηβαίους μετὰ Φιλίππου συνεμβαλεῖν εἰς τὴν χώραν, ὃ πάντες ᾤοντο, μεθ' ἡμῶν συμπαραταξαμένους ἐκεῖνον κωλύειν ἐποίησεν, eiecto cum optimis codd. Σκς post ᾤοντο verbo ἔσεσθαι. Ibid. §. 255. p. 312. legebatur: ἐγὼ μὲν οὖν οὑτωσὶ περὶ τῆς τύχης ἐξετάζειν ἀξιῶ, ὀρθῶς καὶ δικαίως, ὡς ἐμαυτῷ δοκῶ, νομίζω δὲ καὶ ὑμῖν συνδοκεῖν. Sed ἐξετάζειν non minus recte est a Bekkero omissum, quam debebat συνδοκεῖν infra, codicibus Σκς utrumque iubentibus. Illud enim ἐξετάζειν quum ex superioribus supplendum esse existimarent grammatici (quod quidem vel ipsum male factum est, nam οὑτωσὶ ἀξιῶ περὶ τῆς τύχης est: sic existimo,

iudico de fortuna), supplevisse non sat habuerunt, sed vere appinxerunt: hoc συνδοκεῖν supplementum est ex verbo δοκῶ sumptum, tamen male ascriptum a librariis, non, ut oportebat, cogitatum dumtaxat. Porro in or. de Corona §. 298. p. 325. legendum est, opinor: οὐδ' — ὁμοίως ὑμῖν — συμβεβούλευκα, ἀλλ' ἀπ' ὀρθῆς καὶ δικαίας καὶ ἀδιαφθόρου τῆς ψυχῆς, καὶ μεγίστων δὴ πραγμάτων etc. eliminatis cum codicibus supremae notae post τῆς ψυχῆς verbis: τὰ πάντα μοι πέπρακται, intellectoque ex praegressis verbo συμβεβούλευκα. — His subiungam locum in Phil. III. §. 41. p. 121. τὰ δὲ — δηλώσω, οὐ λόγους ἐμαυτοῦ λέγων, ἀλλὰ γράμματα τῶν προγόνων τῶν ὑμετέρων δεικνύων, quem dedisse me autumo, quemadmodum e stilo Demosthenis manavit, ubi exemero δεικνύων, quod abest a pr. Σ. Etenim non intelligentes, per figuram zeugmatis h. l. λέγων esse cogitatione supplendum, proximum verbum δεικνύων arripuerunt atque in ordinem verborum intruserunt. Indeque locum in Lycurgi Leocratea §. 9. p. 141. extr. ἀλλὰ διὰ τὸ μήτ' ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις γεγενῆσθαι τοιοῦτον μηδὲν μήτε ἐν τοῖς μέλλουσιν ἐπίδοξον εἶναι γενέσθαι emendandum antea vidi quam Baitero idem in mentem venisse intellexi. Etenim γενέσθαι Bekkerus dedit Lobeckii monitu pro eo, quod omnes libri habent γεγενῆσθαι: hoc vero Valckenarius in γενήσεσθαι transformavit, quae mutatio ad litteras vulgatae est accommodatior. γενέσθαι autem confirmatur loco Aeschinis adv. Ctesiph. §. 165. ἐπίδοξος ἦν ἁλῶναι aliisque. Mihi tamen dubium non est, quin perfectum γεγενῆσθαι quum omnium fide librorum nitatur, nullo tamen pacto defendi possit, ex anteo. γεγενῆσθαι perperam hic iteratum sit a grammaticis talis omissionis aut non memoribus aut prorsus nesciis. Cfr. Dem. Phil. I. §. 32. p. 49. ὑπάρχει χρῆσθαι — καὶ ἃ χρὴ (sc. ὑπάρχειν) στρατεύματι πάνθ' ὑπάρχειν.

§. 4.

Nec solum in omittendis supprimendisque iis, quae, si cogitata omnia verbis exprimerentur, adiicienda essent, libertas illa vividiorque Graecorum dicendi ratio conspicua est, verum etiam in *celeri constructionis immutatione*: quam quidem tollere atque ad vulgarem ordinem usumque loquendi revocare non uno loco studebant oratorum interpretes. Oratores enim potissimum abrepti vigore orationis et caussam, quam dicunt, magis quam verba curantes, interdum etiam commotionem animorum vel plausum potius sectantes, quam singula verba ad arcta quaedam disciplinae praecepta accommodantes, saepe obliti ea, quae primo dixerant, orationem aliter conformant quam exspectabatur, et structuram verborum ab inchoata

diversam alligant aut prorsus abrumpunt. Sed talia corrigere esset vim oratoriam subvertere velleque ipso scriptore accuratiorem esse. Nihilosecius talia vel ab interpretibus vel a codicum librariis persaepe immutabantur. Quam rem exemplis illustrabimus.

Atque liberior particularum *μὲν* et *δὲ* usus molestias interpretibus turbasque excitavit apud Aeschinem in Timarcheae §. 142. *τὸν μὲν ἔρωτα καὶ τὴν ἐπωνυμίαν αὐτῶν τῆς φιλίας ἀποκρύπτεται, ἡγούμενος τὰς τῆς εὐνοίας ὑπερβολὰς καταφανεῖς εἶναι τοῖς πεπαιδευμένοις τῶν ἀκροατῶν*: ubi Reiskius huius *μὲν* apodosin non reperiens pro eo, quod sequitur *λέγει γὰρ* substituendum censet *λέγει δὲ*, cui correctioni me non habebit assentientem. Neque enim utriusque huius sententiae ullam observare licet connexionem, admixta aliqua diversitatis notione, neque codices huic coniecturae suffragantur. Ceteri interpretes hanc rem silentio praetereunt, quam tamen dignam habere debebant, de qua exponerent. Particula autem *δὲ* cur sit suppressa, caussa est quaerenda in mutata verborum structura: dicere enim in mente habens: *ἡγεῖται δὲ*, particulam *μὲν* praecedere iubet orator, simul autem *rationem*, *cur* recondat amorem eiusque cognomen afferre animum inducens, constructionem repente mutat utiturque participio, ad quod illud *δὲ* aptari non poterat. Sensus est igitur: „amorem illorum quidem recondidit, putans (i. e. quoniam, aut: *sed* putavit tamen) eum non esse obscurum prudentibus auditoribus.“ Plane similis est locus in Lysiae or. (12.) in Eratosth. §. 5. p. 385. R. *ἐπειδὴ δ᾽ οἱ τριάκοντα πονηροὶ μὲν καὶ συκοφάνται ὄντες εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, φάσκοντες χρῆναι τῶν ἀδίκων καθαρὰν ποιῆσαι τὴν πόλιν*, qui eadem ratione et intelligendus est et recensendus. Neque enim Reiskio assentiendum videtur, *μὲν* abesse malenti, quum *δὲ* non sequatur, neque Bremio p. 63., eundem propterea reprehendenti: „Lysias enim, inquit, in animo habebat alterum huius sententiae membrum: *καλὴν δὲ πρόφασιν προϊστάμενοι*, hanc ipsam autem sententiam amplificavit adiecta explicatione *φάσκοντες* cett.“ At vero *δὲ* particula ipso participio *φάσκοντες* continetur: scriptori enim haec cogitanti: *πονηροὶ μὲν καὶ συκοφάνται ὄντες εἰς τὴν ἀρχὴν κατέστησαν, ἔφασκον δὲ χρῆναι κ. τ. ἑ.*, statim in mentem venit, vel *hanc ob caussam* istos etiam malignos fuisse et scelestos, *quod* dicerent egregie illa quidem, non tamen perficerent unquam. Inde participium et *δὲ* particulae omissio explicatum habent *). Sunt igitur hi loci in iis nume-

*) Quare non erat, cur Schneiderus in Xenophontis Memorabill. I. 2. 2., pro *ἀλλ᾽ ἔπαυσε μὲν τούτων πολλούς, ἀρετῆς ποιήσας ἐπιθυμεῖν καὶ ἐλπίδας παρασχών, ἂν ἑαυτῶν*

randi, ubi δὲ in oratione delitescit ipsa ex eaque potest intelligi. Herm. ad Vig. p. 841. extr. sq. Reisig. comment. crit. ad Oed. Col. p. 398. Cfr. Buttm. excurs. XII. ad Demosth. Midianam. Exempla congessit Fritzsch. in Quaest. Luc. p. 112. Nec raro si, quae sibi respondent, longiore enunciatione interposita disgregantur, suppressa est part. δὲ post μὲν, ut in Xenophontis Anabasi IV. 1. 27. Ὑφίσταται τῶν μὲν ὁπλιτῶν Ἀριστώνυμος — καὶ Ἀγασίας — non sequentibus, quae exspectabantur, verbis: τῶν δὲ γυμνητῶν, sed §. 28. Ἐκ τούτου ἐρωτῶσιν, εἴ τις καὶ τῶν γυμνητῶν ταξιάρχων ἐθέλοι συμπορεύεσθαι. Similiter cum omnibus libris tuendus est etiam locus in Ctesiph. §. 241. ὅπου γὰρ τοὺς μὲν ὄντως ἄνδρας ἀγαθοὺς —, ἐὰν τοὺς καθ' ἑαυτῶν ἐπαίνους λέγωσιν, οὐ φέρομεν· ὅταν δὲ ἄνθρωπος αἰσχύνη τῆς πόλεως γεγονὼς ἑαυτὸν ἐγκωμιάζῃ, τίς ἂν τὰ τοιαῦτα καρτερήσειεν ἀκούων; ubi μὲν et δὲ denuo caussae turbarum fuerunt, contra Marklandum δὲ deletum volentem et Reiskium pro ὅπου substituentem ἧπου. Nec acriter vulgatam Bremius defendit ita, ut pergere oratorem aiat, quasi priore membro scripserit: ὅταν μὲν γὰρ οἱ ὄντως ἄνδρες ἀγαθοὶ καθ' ἑαυτῶν ἐπαίνους λέγωσιν, οὐ φέρομεν: ex hac enim explicatione anacoluthia cur potissimum et sit admissa et admitti potuerit, non perspicitur. Orator potius cogitandus est protasin et apodosin primum in animo habuisse, simul autem animadvertens relatione aliqua, quam vocitant, utrumque membrum consociatum esse, μὲν et δὲ interseruit ita, ut constructionem non iam curaret, sed contraheret duas celeri quodam mentis motu cogitationes. De hac permixtione constructionum v. in universum Hermannus ad Vigerum p. 899.

Non minus saepe oblitteratus is usus est, quum una particula μὲν vicibus fungitur bis positae, ut apud Demosthenem de Corona §. 201. p. 295. Τίσι δ' ὀφθαλμοῖς πρὸς Διὸς ἑωρῶμεν ἂν τοὺς εἰς τὴν πόλιν ἀνθρώπους ἀφικνουμένους, εἰ τὰ μὲν πράγματα εἰς ὅπερ περιέστη, ἡγεμὼν δὲ καὶ κύριος ᾑρέθη Φίλιππος ἁπάντων. Schaeferus, quoniam haec duo membra non seiuncta sed ex se pendentia sint, coniicit scribendum esse: τὰ μὲν πράγματ' εἰς ὅπερ νυνὶ περιέστη, καὶ ἡγεμὼν καὶ κύριος —. At usum particularum μὲν et δὲ probe perspicienti hoc non incurrisset in mentem. Etenim verum est

ἐπιμελῶνται, καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς ἔσεσθαι, quum non sequeretur δὲ, quod huic μὲν responderet, coniiceret: ἀλλ' ἔπαυσε μήν, etenim hic quoque in participiis ποιήσας et παρασχὼν latet part. δέ. Continuaturus enim scriptor erat ἀρετῆς δὲ ἐποίησε ἐπιθυμεῖν κ. τ. λ. —

illud quidem, *μὲν* particulam ad *τὸν δ' ὑπὲρ τοῦ μὴ γενέσθαι* referri, sed vicibus fungitur bis positae particulae *μὲν*, alterius ad totam enunciationem *εἰ τὰ μὲν πράγματα — ἁπάντων* pertinentis atque sequenti *δὲ* in verbis *τὸν δ' ὑπὲρ* respondentis, alterius ad hoc solum incisum: *εἰ — περιέστη* respicientis, cui respondent haec: *ἡγεμὼν δὲ* etc. Sic omnia bene se habent nec opus est ulla mutatione. — Eadem ratio est loci paullo inferioris, §. 206. p. 296. extr. *νῦν δ' ἐγὼ μὲν ὑμετέρας τὰς τοιαύτας προαιρέσεις ἀποφαίνω —, τῆς μέντοι διακονίας τῆς ἐφ' ἑκάστοις τῶν πεπραγμένων καὶ ἐμαυτῷ μετεῖναί φημι, οὗτος δὲ τῶν ὅλων κατηγορῶν — κ. τ. λ.*, ubi verbis *ἐγὼ μὲν* — duplex enunciatio respicitur, altera *οὗτος δὲ τῶν ὅλων κατηγορῶν* etc., altera *τῆς μέντοι διακονίας* eaque interposita inter primaria responsionis membra. Cfr. Demosth. Midian. §. 100. p. 547. in. *τίς οὖν ὑβρίζων παύσεται —; εἰ τοῦτον μὲν ὥςπερ δεινὰ πάσχοντα ἐλεήσετε· εἰ δέ τις πένης ὤν, μηδὲν ἠδικηκώς, ταῖς ἐσχάταις συμφοραῖς ἀδίκως ὑπὸ τούτου περιπέπτωκε, τούτῳ δὲ μὴ συνοργισθήσεσθε;* ubi in locum alterius *δὲ* Marklandus substitutum maluit *δή*. Cfr. Dem. Leptin. §. 23. p. 463, 26. ibique Fr. A. Wolfius et Andocid. de mysteriis §. 55. p. 8. *νῦν γὰρ ἐμὲ μὲν λόγον διδόναι — ἴσασι δὲ ἄριστα — ἔξεστι δὲ αὐτοῖς — ὑμᾶς δὲ δεῖ — κ. τ. λ.* Wunderlich. praefat. ad Dem. Cor. p. XXVIII. et Buttmanni Excurs. XII. ad Midianam p. 155.

Accuratiore etiam explicatione indiget locus in or. de Corona §. 12. p. 229., qui quidem est vehementer a procellis et criseos urentis secantisque et malae interpretationis agitatus, cuius tamen sententia nihil potest cogitari simplicius. Verba sunt haec: *Τὰ μὲν οὖν κατηγορημένα πολλὰ καὶ δεινὰ —, τοῦ δὲ παρόντος ἀγῶνος ἡ προαίρεσις αὕτη ἐχθροῦ μὲν ἐπήρειαν ἔχει — καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, τῶν μέντοι κατηγοριῶν —, εἴπερ ἦσαν ἀληθεῖς, οὐκ ἔνι τῇ πόλει δίκην ἀξίαν λαβεῖν οὐδ' ἐγγύς.* — Schaeferus *μὲν* post *ἐχθροῦ* per se putat positum esse, ita ut alteri membro non respondeat. Nego. Etenim *μὲν* h. l. respondentem habet particulam *μέντοι*, quod omnes interpretes praetervolavit. Illud *μέντοι* enim fuerunt qui aut mutari vellent in *μὲν τοίνυν*, quo nihil est ineptius, aut explanari per *quanquam*, quod usui repugnat. Omnes hae interpretationes si non linguae at sententiae adversantur, quae haec est: „Crimina, quibus ille me insectatur, multa sunt et magna. Huius autem accusationis consilium hostiles quidem habet contumelias, convicia etc. i. e. consilium accusationis hostile est illud quidem (itaque criminationes non omni ex parte verae esse possunt), *sed* criminationes illae si essent verae, atrocissimae mihi essent poenae subeundae.“

Illud autem ne cui mirum videatur, quod μὲν ad aliam particulam respicit, quam ad δὲ, inspiciatur ipse Schaeferus in appar. crit. ad p. 372, 3. ad orat. de Falsa Leg. §. 96., ubi μὲν excipitur particula μήν. V. praeterea Dem. de Corona §. 253. τὴν μὲν τῆς πόλεως τύχην —, τὴν μέντοι τῶν πάντων ἀνθρώπων. ibid. §. 206. Pluribus exemplis in re aperta non est opus.

Ista librariorum et interpretum solicitudo omnia ad iustum eumque vulgarem ordinem revocandi conspicua est etiam, ubi μὲν et δὲ minus concinne posita sunt in codicibus. Ita codice Laurentiano ductus Bekkerus in Lysiae or. (25.), quae inscribitur δήμου καταλύσεως ἀπολογία §. 27. dedit: διὰ μὲν τοὺς ἀδίκως πολιτευομένους ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ δημοκρατία γίγνεται, διὰ δὲ τοὺς ἐν τῇ δημοκρατίᾳ συκοφαντοῦντας ὀλιγαρχία δὶς κατέστη. Erat autem optimis codd. obtemperandum, in quibus ordo vulgaris non observatus est: in his enim legitur: διὰ τοὺς μὲν ἀδ. κ. τ. λ. Sic qui Graecos in responsione particularum μὲν et δὲ anxios fuisse crediderunt, codicum scripturam apud Andocidem de mysteriis §. 74. ἕτεροι δὲ ὧν μὲν τὰ σώματα ἄτιμα ἦν, τὴν δ' οὐσίαν εἶχον καὶ ἐκέκτηντο spernebant; est enim in editionibus omnibus, ὧν τὰ μὲν σώματα. Neque tamen magis in hoc loco haerendum erat, quam in compluribus ipsius Demosthenis, velut de Corona §. 250. ἐν μὲν οἷς εἰσηγγελλόμην —, ἐν οἷς δὲ τὰς γραφὰς ἀπέφευγον κ. τ. λ. Schaefer. apparat. crit. p. 226, 21. 310, 16. 330, 22. Inde optimorum librorum scripturam revocandam esse duco in or. de F. Leg. §. 90. p. 369. οὐ δὴ δίκαιον ἐκείνῳ μὲν ἀμφότερ' ηὐξῆσθαι διὰ τούτους —, ἃ δ' ὑμῖν δικαίως ἂν ὑπῆρχεν ἐκ τῆς εἰρήνης, ταῦτ' ἀνθ' ὧν ἀπέδοντο αὐτοὶ λογίζεσθαι pro vulgari ἡμῖν δ' ἃ κ. τ. λ., et in or. in Leptinem §. 30. hac ipsa de caussa praefero, quod in praestantissimo cod. Σ reperitur necdum tamen in ordinem verborum receptum est: ἔστι μὲν γὰρ γένει δήπου ὁ Λεύκων ξένος, τῇ δὲ παρ' ὑμῶν ποιήσει πολίτης vulgari ordini: ἔστι γὰρ γένει μὲν, correctionem grammatici olenti, qui voc. γένει respondere ei, quod sequitur, ποιήσει significare voluit. Cfr. eiusdem or. §. 111. p. 490. οὐδὲ δι' ὧν μὲν ἐκεῖνοι μεγάλοι εἰσὶ, — διὰ δ' ὧν ὁ παρ' ἡμῖν δῆμος εὐδαίμων κ. τ. ἑ., quae quidem verba nemo attrectavit, nisi quod in cod. Ω correctum legitur δι' ὧν δ'.

Consuetudo est etiam Graecorum, ut ὁ μὲν in priore membro ante ὁ δὲ omittant: quae etiamsi satis trita est, tamen quoniam a recta accurataque loquendi ratione recedere videbatur, non poterat quin hic illic ex libris mscr. et editis removeretur. Sic omnes interpretes apud Demosth.

de Falsa Leg. §. 136. edidere: ὁ μὲν ἦλθεν, ὁ δ' ἀπῆλθεν, quanquam ὁ μὲν a pr. Σ abest: idque, ut opinor, recte. Commotior est enim oratio, cui potissimum hic usus loquendi meo quidem iudicio convenit. Cfr. Phil. III. §. 64. εἰςφέρειν ἐκέλευον, οἱ δ' οὐδὲν δεῖν ἔφασαν· πολεμεῖν καὶ μὴ πιστεύειν, οἱ δ' ἄγειν εἰρήνην, ἕως ἐγκατελήφθησαν. Praeivit Homerus Il. XXII, 157.

τῇ ῥα παραδραμέτην, φεύγων, ὁ δ' ὄπισθε διώκων.

Liberior Aeschineae potissimum orationis conformatio interpretes vel ibi male habuit, ubi *consulto* negligentius loquutum oratorem esse tranquillo animo contemplanti patebit. In loco enim or. de F. Legat. §. 32. p. 231. μνημονικόν τις αὐτόν φησιν εἶναι· καὶ γὰρ ἕτεροι —, nec iis assentior, qui vocabulum μνημονικὸν, quod non multo ante §. 51. idem iam usurpatum sit: ἐδόκει μνημονικὸς καὶ δεινὸς εἶναι λέγειν Αἰσχίνῃ Φίλιππος, mutatum voluerunt, etenim infra §. 112. eodem modo μνημονικὸς et δεινὸς συμπιεῖν coniuncta leguntur, neque Bremio Orellioque astipulor, §. 51. in antecedd. verba μνημονικὸς καὶ exterminanda esse credentibus. Hoc est enim scriptoribus concinnitatem inurere quasi velle et inculcare, quam non voluerunt. Potius de industria orationem Demosthenis sic instituit subagrestem Aeschines turbatamque, ut deridiculam eam faceret audientibus, idque eo magis exsequitur, quod breviter se et concise dicturum esse Demosthenes promiserat antea et iactaverat, nunc tamen diffuse ad satietatem in rebus minutissimis versatur. Huc pertinere videtur ista, quam Aeschines in Demosthenis genere dicendi carpit, ἀνωμαλία §. 54. coll. §. 7., confusio et contradictio in dicendo. Demosthenem enim Aeschines in verbis μνημονικὸς et δεινὸς rustice et confuse haerentem et quasi in gyro se circumagentem facit. Nam quod ipse §. 48. μνημονικῶς et δυνατῶς Philippum dicere commemoraverat, hoc ita exagitat Demosthenes, ut §. 51. primum ipsum Aeschinis nomen dicat verbaque eius redarguat (ἀλλ' οὐκ ἐμοὶ), deinde vero §. 52. iam oblitus eorum, quae paullo ante dixerat, Aeschinem τινὰ per contemptum appellans eademque repetens (μνημονικόν τις αὐτόν φησιν εἶναι) fidem iis habere iam significet, quae supra ipse refutarat (καὶ γὰρ ἕτεροι): nunc ad Ctesiphontis orationem refellendam redit: συμπιεῖν δεινὸς ἦν· Φιλοκράτης ὁ μεθ' ἡμῶν δεινότερος, ut τὴν ἐπιδεξιότητα in potando, quam Ctesipho praedicarat, subsannet, denique ad Aeschinem rursum se convertit, quem §. 48. οὐκ ἐπελαθόμην τὴν δέησιν τὴν Δημοσθένους, ὅτι ταχθείη λέγειν, ἐάν τι παραλίπωμεν ἡμεῖς ὑπὲρ Ἀμφιπόλεως dicentem verbis: ἀλλ' οὔτ' ἂν ὑμῖν ὁ ῥήτωρ οὗτος οὔτ' ἂν ἐμοὶ λόγου μεταδοίη — reprobare studet. — Quam turbata et confusa omnia! quae nisi omnia quis ad Demosthenis δεινό-

τητα redigi volet, — quod profecto temerarium esset ipsique Aeschinis sententiae adversans, — in singulis quoque abstinendum erit a mutationibus, ne puriorem Demosthenem ordinatioremque ipsi repraesentemus, quam qualem voluit repraesentari inimicus capitalis. Ne simplex quidem zeugmatis genus in hac oratione a procellis criseos vacavit. §. 72. p. 251. enim in verbis *ἡ πόλις ἡμῶν Μυοννήσου καὶ τῆς τῶν λῃστῶν δόξης ἀνεπίμπλατο*, Reiskius pone *Μυοννήσου* excidisse opinatur: *τάξιν ἀντηλλάξατο*, Bremius *τῆς* ante *Μυοννήσου* desiderat, quod ad *δόξης* referatur. Uterque, nisi me fallit, frustra. Ex seqq. enim voc. *δόξα* est hic intelligendum, non tamen supplendum *).

Quid? quod verba transponebantur ab interpretibus, quia res ad vulgarem et rectam cogitandi rationem non applicatas esse opinabantur, ut apud Aeschinem de F. Leg. §. 89. p. 266. *καὶ γὰρ τοὺς χρόνους καὶ τὰ ψηφίσματα καὶ τοὺς ἐπιψηφίσαντας ἐν τοῖς δημοσίοις γράμμασι τὸν ἅπαντα χρόνον φυλάττετε*: ubi quum Reiskius verba ita structa fuisse mallet: *τὰ ψηφίσματα καὶ τοὺς χρόνους* sc. *αὐτῶν*, vestigia eius sequuti sunt et Schoemannus de comitt. Athen. p. 136. et Bremius in ed. p. 185. sq. At viri docti si ad totam sententiam verbaque in vicinia posita animum advertissent, statim vidissent, vocab. *τοὺς χρόνους* non ad sola illa, quibus lata sunt psephismata, pertinere

nere

---

*) Hanc figuram non semel amoliri conatus est Reiskius, uti demonstravit Bremius in excursu III. ad Lysiae orationes, cui adde Demosth. Phil. I. §. 35. p. 50., ubi quum *χρήματα — καὶ τοσοῦτον ὄχλον* per zeugma adiuncta sint verbo *ἀναλίσκετε*, Reiskius post *ὄχλον* frustra desiderabat *ἔχετε*, et or. de pace §. 10. p. 59., ubi idem et Augerus ad *ὑπισχνουμένων — τοιαύτας ἐλπίδας καὶ φενακισμοὺς* addendum censebant *προτεινόντων* vel *ὑποδεικνύντων*, sed ubi ex ipso verbo *ὑπισχνουμένων* assumendum est aliud verbum, fortasse *ἐμποιούντων*: deinde ap. Aeschinem in Ctesiph. §. 255. p. 645. R. *καὶ μὴ μόνον τοῖς ὠσὶν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὄμμασι διαβλέψαντες εἰς ὑμᾶς αὐτοὺς βουλεύσασθε*, non coniectura quidem, sed interpretatione hoc zeugma tollere studuit: negat enim, vocem *ὠσὶν* ad *διαβλέψαντες εἰς ὑμᾶς αὐτοὺς*, sed ad *βουλεύσασθε* pertinere ait: id quod plane secus mihi videtur, quum et nimis arcte hi dativi sint per voces: *μὴ μόνον — ἀλλὰ καὶ* copulati, et *ὠσὶ βουλεύσασθε* durius, opinor, dictum sit, quam si zeugma retinueris. Quare non dubium est, quin *τοῖς ὠσὶν* perinde ac *τοῖς ὄμμασι* referendum sit ad *διαβλέψαντες*, in eoque verbo consocientur hae notiones: *διακρίναντες καὶ ἀποβλέψαντες εἰς ὑμᾶς αὐτοὺς*, neque, quin *σώμασιν*, quod pro *ὠσὶν* in duobus Bekk. codd. d f et in Mead. est, debilis sit interpretatio nescio cuius hominis, qui, ut Reiskius, antiquos, sicut logicos voluit enucleate anxieque semper loqui. At manebunt zeugmata, quamdiu sincera manent antiquorum scripta: illa omnia in dubium vocare, temerarii est, corrigere insipientis; praeivit enim parens omnium poetarum Homerus, sequuti sunt omnes et poetae et prosarii scriptores.

tinere tempora, sed de temporibus omnino deque temporum rationibus intelligendum esse. Id enim clare elucet e sequentibus, quibus Aeschines (§. 90.) ut crimen, quo Cersoblepten tergiversando pessum dedisse dicebatur, a se avertat, de temporibus, per quae Cersobleptae opem ferre sibi non licuisset, antea exponit, quam senatusconsultum (§. 41.) et tempus (τὸν χρόνον), quo illud latum esset, recitari iubet. Atque haec quidem temporum memoria cur reservata fuerit in publicis litteris, in aperto est, quum proëdriam tunc gereret essetque unus ex legatis Demosthenes (§. 90. Δημοσθένης δ' ἐν τῷ δήμῳ προήδρευε τούτου τοῦ μηνός, εἷς ὢν τῶν πρέσβεων ἑβδόμῃ φθίνοντος). Quocirca nihil mutandum.

Deinde huc pertinet error ibi commissus, ubi aliquid tanquam factum dicitur, quod tamen factum non esse aut ex orationis contextu intelligitur aut omnino mente cogitatur. Hic enim plerumque negationem intrusam voluerunt. Locus est in Aeschinis or. de F. Leg. §. 153. p. 318. ἡγεῖται δ' ὅταν τι ψεύδηται τῶν λόγων ὅρκος κατὰ τῶν ἀναισχύντων ὀφθαλμῶν, καὶ τὰ γεγενημένα οὐ μόνον ὡς ἔστι λέγει, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ φησὶ γενέσθαι: qui multis est coniecturis ab interpretibus vexatus. Casaubonus enim ad Theophrasti Charr. VIII. et Marklandus τὰ μὴ γεγενημένα, Weiskius: κἄτα γεγενημένα ὥς ἐστι scribendum suspicantur, neque etiam Bekkerus pro sano habet locum, qui priores duas coniecturas in margine commemoret. Mihi vero vulgata defendi non modo posse, sed vel debere videtur. Nam quoniam ante dictum est: ὅταν τι ψεύδηται, opus non est nunc haec facta ψευδῆ vocentur, haec enim per se intelliguntur, ut sint ea, quae Demosthenes narrat tanquam facta, Demosthenea quasi, i. e. ficta, falsa. Sensus igitur: factorum non modo affirmat veritatem, facta non esse modo affirmat, verum etiam diem, quo illa facta sint, definit. Ita multo etiam magis arrogantia Demosthenis et impudentia in mentiendo, quam intexta negatione exprimitur. Nos: Wenn er lügt, ist er so unverschämt, dafs er nicht nur die Wahrheit der Thatsachen versichert, sondern auch den Tag angiebt etc. Plane sic loquitur Andocides de reditu §. 14. (Pisander) τὸ πρᾶγμα ἤδη πᾶν διηγεῖτο ὡς ἐπέπρακτο. Rem vero ita fuisse Andocides prorsus negat.

Omnino dici vix potest, quot sint et quanta propter *negationes* temere aut deletas aut insertas librariorum atque editorum errata, ut interdum quid verum sit, quid falsum, eruere anceps esse videatur. Exempla afferam, quae huic loco, quo errores propter liberiorem orationis conforma-

tionem commissos perstringimus, maxime quadrant. In oratione Aeschinis c. Ctesiph. §. 205, *τὸν Δημοσθένην ἀξιώσατε ἀπολογεῖσθαι — ὡς οὐδὲ ἄξιός ἐστι τῆς δωρεᾶς* — quum cod. k exhibeat *οὐδὲ ἀνάξιός*, e h l et g *οὐδὲν ἀνάξιός*, f *οὐκ ἀνάξιός*, nescio an antiquior sit ideoque praestabilior scriptura *οὐδὲ ἀνάξιος*, quam aliquis homo logices valde curiosus immutavit fortasse in *οὐδὲ ἄξιος*; nam ex verbo *ἀπολογεῖσθαι* cogitatione verbum aliud repeti potest, affirmative exprimens, quod *ἀπολογεῖσθαι* negative notat, velut *ἐλέγχειν*. Exemplis in re notissima non opus. Sententia autem vel flagitat, ut hoc modo legamus: illud enim Demostheni erat demonstrandum, se *ne indignum quidem esse* corona.

Falso etiam, licet speciose ex coniectura Lambini, Tayloris et Reiskii Bekkero probante addita negatio est in his verbis Ctesiphonteae §. 207. *ἀλλ' ἃ δὴ συμβήσεται ὑμῖν, ἐὰν τοῦτον τὸν τρόπον τὴν ἀκρόασιν ποιῆσθε, ταῦθ' ὑμῖν ἤδη δίκαιός εἰμι προειπεῖν*: ubi pro *ἐὰν τοῦτον τὸν τρόπον* requirebant isti *ἐὰν μὴ τοῦτον τὸν τρόπον*, propterea quod quomodo audiendus sit Demosthenes, superioribus contineretur, et quae eventura essent, *nisi* hoc modo institueretur auditio, his verbis exponeretur. At negationem quamvis ab ipsa re exigi clamet Reiskius, necessariam esse praefracte nego. Sic enim haec interpretanda sunt: Hac ratione si audieritis Demosthenem, i. e. si ab ambagibus et degressionibus orationis eum ad rem ipsam revocaveritis, haec vobis eventura sunt: inducet quidem praestigiatorem et fraudatorem, — sed si haec dixerit, obiicietis ipsi (§. 208.) *ὦ Δημόσθενες, εἰ σοὶ ἦσαν ὅμοιοι οἱ ἀπὸ φυλῆς φεύγοντα τὸν δῆμον καταγαγόντες, οὐκ ἄν ποθ' ἡ δημοκρατία κατέστη* etc. Itaque verba *τοῦτον τὸν τρόπον* revera ad ea quae praecedunt pertinent, et quae eventura sint, ea sequenti §. continentur. Nihil est igitur novandum *).

Denique nonnunquam in libris mscr. et editis obscuratus is usus est, quam ne libertatem quidem vocaveris, quo sibi respondent vocabula *τοσοῦτος* et *ὅς*, *τοιοῦτος* et *ὅς*: in his enim locis quanquam *ὅς* vel *ὅςπερ* in codicibus legitur plerisque, tamen homines critici ut concinnitatem assequerentur, plerumque correxerunt *οἷος* aut *ὅσος*, *οἱόςπερ* aut *ὅσοςπερ*. Ita ap. Aeschinem in Timarchum §. 49. quum in optimis libris a b g l m legeretur:

---

*) Ita antea erratum erat in verbis Lycurgi Leocr. §. 108., quae in codd. omnibus ita legebantur: *ταῖς μὲν τύχαις ὁμοίως ἐχρήσαντο*, quam Morus et Heinrichius, qui vulgatam sensum aut non aptum aut nullum fundere vidissent, *οὐχ* ante *ὁμοίως* inserendum esse iudicaverunt.

καὶ ἐγὼ μὲν τοσαυτασὶ πολιὰς ἔχω, ἃς ὑμεῖς ὁρᾶτε, tamen in hac scriptura non acquiescentes ceterorum codicum interpretationem ὅσας asciverunt. Nec loci corrigendi sunt in quibus τοιοῦτος excipitur ab ὅςπερ, ut Demosthenis in Mid. §. 169. ubi e Reiskii coniectura editores recentiores omnes: οἷάπερ φήσει — τοιαῦτ' ἦν αὐτῷ τὰ λελειτουργημένα, libris mscr. omnibus ἅπερ tenentibus. Nec magis quicquam mutandum apud Aeschinem in Timarchea §. 152. et 153., ubi et in ultimo fragmenti Euripidei versu retinenda omnium librorum scriptura: τοιοῦτός ἐστιν οἷςπερ ἥδεται ξυνών, pro eo quod sola H. Wolfii coniectura nititur:

τοιοῦτος ἔσθ' οἵοιςπερ ἥδεται ξυνών.

Hinc infra §. 153. item codicibus obsecundandum esse apparet, qui hic quoque τοιοῦτον αὐτὸν εἶναι, οἷςπερ ἥδεται ξυνών tenent. Quod ita esse debere facile liquebit comparanti Demosth. de F. Leg. §. 245., ubi quum idem versus affertur, codices consentiunt in scriptura τοιοῦτός ἐστιν οἷςπερ ἥδ. ξυνών: nisi quod in codd. r s ante οἷςπερ praefigitur ἕκαστος, quod quidem glossema versum conturbans aliquot codices et Aeschinis et vero etiam Plinii in epist. IV. 27. 6. occupat: qui loci ab interpretibus sunt neglecti. Iam vide et mirare inconstantiam criticorum, qui his locis vel de coniectura hanc responsionem amoverunt, nec tamen aggressi sunt eandem apud Lysiam or. (13.) in Agor. §. 13. ἦλθε γὰρ φέρων εἰρήνην τοιαύτην, ἣν ἡμεῖς ἔργῳ μαθόντες ἔγνωμεν. Haec vero minus etiam offendere debebant, quam ea loquendi ratio, quae nostrae certe affinis est, ubi post οὕτως quum exspectetur ὥστε, sequitur ὃς *), ut apud Aeschinem de F. Leg. §. 150. οὕτως ἀναιδὴς καὶ πόῤῥωθεν ἀχάριστος εἶ, ὃς — ἀγαπᾷς: ibi enim quum proprie dici oporteret ἀναιδὴς καὶ πόῤῥωθεν ἀχάριστος εἶ, ὃς — ἀγαπᾷς aut οὕτως ἀναιδὴς — εἶ, ὥστε — ἀγαπᾶν, utrumque in unum coaluit. Similiterque existimandum est de coniunctione vocabulorum τοσοῦτος — ὃς et τοιοῦτος — ὅς, ubi alterum ὃς fere pro ὥστε est, ut apud Aeschinem in Timarchum §. 146. καὶ τοιαῦτα ἐπέσκηψε τῷ Ἀχιλλεῖ, ἐφ' οἷς καὶ δακρῦσαι — ἄξιον αὐτῶν ἐστίν. Ctesiph. §. 137. οὐδεὶς πώποτε — τοιοῦτος μάγος καὶ γόης ἐγένετο, ὃς — τολμᾷ λέγειν κ. τ. λ. Magis mira videri possit haec notionum permixtio, quae superiorum similis est legiturque apud Lysiam or.

---

*) Qualitatem tamen significans, quum ὥστε quantitatis notionem habeat. Bernhardy synt. p. 292.

(13.) in Agor. §. 77. καίτοι πῶς ἂν γένοιτο ἄνθρωπος μιαρώτερος, ὅςτις — ἐτόλμησεν ἐλθεῖν ὡς τούτους; dicendum enim proprie erat μιαρώτερος τούτου, ὅςτις —, at orator ita cogitans, quasi dixisset antea: πῶς ἂν γένοιτο ἄνθρωπος οὕτω μιαρὸς, ὅςτις — ἐτόλμησε ἐλθεῖν ὡς τούτους, haec duo membra coagmentavit, cuius utriusque vestigia resederunt.

Interdum quamvis in celeri mutatione structurae adeo vis sit oratoria posita, tamen ea ipsa viri docti exuere nitebantur oratores. Sic mirum, quod in loco Aeschinis contra Ctesiph. §. 104. p. 496. offendebant, ubi haec leguntur: ὁ δὲ (Demosthenes) ἀπεκρίνατο τῷ Γνωσιδήμῳ, ὅτι ἐλαχίστου χαλκοῦ οὐδὲν δέοιτο, τὸ δὲ τάλαντον διὰ τοῦ Καλλίου εἰςπράττειν. Linquam, quod Reiskius pro ἐλαχίστου scribendum esse putat ἐλάχιστα, sublato voc. οὐδέν: quanto enim haec coniectura infirmior sit vulgata scriptura, quisque sponte intelliget. Namque hoc Aeschines Demosthenem facit dicentem, sibi minime opus esse parvula ista aeris parte, ex qua statua conficiatur. Maiores tamen difficultates interpretibus facessivit h. l. et constructionis mutatio et quod infinitivus praesentis pro eo esse videbatur, quod flagitari aiebant, futuro. Quae ut aut explanarentur aut corrigerentur, H. Wolfius ex superioribus cogitatione δέοιτο repetendum putavit, quo nihil neque durius neque ab usu loquendi, qui certe δέοι postulabat, remotius confingi potest, deinde Marklandus, ut erat ad quodvis praesens in futurum immutandum proclivis, ubi res futura spectatur, legendum esse censet: αὐτὸν ἐθέλειν εἰςπράττειν, aut alioquin εἰςπράξειν, Stephanus denique et Bekkerus cum codd. e k l (quos non optimae notae esse supra vidimus) exhibent εἰςέπραττε, Bernardinus *) εἰςέπραξε: quae sunt omnia difficilioris scripturae interpretamenta, ex fontibus profecta haud adeo limpidis **). At quae in plurimis optimisque libris exarata sunt, commode mihi quidem videntur dicta esse, dicta commode explicari posse. Nam primum imperiosis superbisque verbis Demosthenis bene convenit praesens illud εἰςπράττειν, quo significet, et *certo* se exacturum esse talentum, nullis auditis precibus, et *statim* hoc nulla interiecta mora perfecturum. Variatae autem constructionis ratio haecce mihi esse videbatur. In superiore enunciato: ὅτι — δέοιτο nonnisi sententiam verborum, quibus usus erat Demosthenes, expressam voluit orator, in altero autem: τὸ δὲ τάλαντον —

---

*) Vel fortasse Scaliger, cuius coniecturis codicem Bernardinum obsitum esse constat.

**) Ac mihi quoque aliquando in mentem venerat: τὸ δὲ τάλαντον διὰ τοῦ Καλλίου εἰςπράττειν ἀναγκάζοιτο. οἱ δὲ Ὠρεῖται οὐκ εὐποροῦντες κ. τ. ἕ.

εἰςπράττειν, ut elatum Demosthenis atque intractabile ingenium luculenter appareret, et odium pareret, verba ipsa, qualia effatus erat Demosthenes, non solam eorum sententiam posuit, tamen uti opus erat, in oratione obliqua. Scilicet Demosthenes dixerat: τὸ τάλαντον διὰ τοῦ Καλλίου εἰςπράττω. Cf. Xen. Cyrop. I. 3. 13. ἡ δὲ ἀπεκρίνατο, ὅτι βούλοιτο μὲν ἅπαντα τῷ πατρὶ χαρίζεσθαι, ἄκοντα μέντοι τὸν παῖδα χαλεπὸν εἶναι νομίζειν καταλιπεῖν. Itaque praesens, ubicumque loco futuri positum esse dicitur, de re futura quidem est, sed ea tamen statim futura et continuo facienda. Exempla congessit Foertschius in observatt. critt. in Lysiae oratt. p. 56.

§. 5.

Porro consuetudo est etiam librariorum atque interpretum, ut *reconditiores et minus usitatas verborum structuras formulasque loquendi cum planioribus tritioribusque commutent.* Quoniam autem in Aeschine emendando supra versabatur disputatio, huiusmodi exemplum ex hoc oratore primo petam. In or. enim de F. Leg. §. 158. Bekkerus exoudi iussit: ἐάσετε οὖν τὸν τοιοῦτον αὐτοῦ προςτρόπαιον (μὴ γὰρ δὴ τῆς πόλεως) ἐν ὑμῖν ἀναστρέφεσθαι, τὸν e Reiskii coniectura in locum scripturae omnium librorum αὐτὸν substituens. Ceterorum omnium lectionem αὐτὸν τοιοῦτον προςτρόπαιον — ὥστε ἐν ὑμῖν etc. quum Harpocratio quoque v. προςτρόπαιον teneat, apud scholiastam autem in cod. Harlei. verba explicantem legantur haec: προςτρόπαιον δέ φησιν ἑαυτοῦ· μὴ γὰρ γένοιτο τῆς πόλεως: verum assequi mihi videor verba sic restituens: ἐάσετε οὖν αὐτοῦ τὸν τοιοῦτον προςτρόπαιον — μὴ γὰρ δὴ τῆς πόλεως — ὥστε ἐν ὑμῖν ἀναστρέφεσθαι. Ex librariorum enim inscitia ad huiusmodi transpositionem vocabuli αὐτοῦ offendentium apparet ratio, quare αὐτὸν in libros mscr. irrepserit. Exempla huius transpositionis plurima scriptores suppeditabunt, ut Lycurgus c. Leocr. §. 33. τὴν ὑγρότητα αὐτῶν τοῦ ἤθους, Aeschines in Ctesiph. §. 37. ὑμῶν εἰς τὴν πολιτείαν, Lysias or. (1.) de caede Eratosth. §. 17. πάντα μου εἰς τὴν γνώμην εἰςῄει. Item ὥστε a Bekkero reiectum, tamen in probatissimis libris inventum in integrum restituendum est. Cfr. praeter Hermannum ad Vigerum p. 994. et Matthiae gr. Gr. §. 531. Lysiae or. (18.) ὑπὲρ τῶν τοῦ Νικίου ἀδελφοῦ §. 22. οἷς ἡ τύχη παρέδωκεν, ὥστε — βοηθῆσαι τῇ πόλει, ubi intelligendum Reiskius opinabatur aut addendum: τοσοῦτον δύνασθαι, nescio an non recte: est

enim sententia haec: fortuna nobis dedit (proprie tradidit), ut urbi iam tum opem ferremus: Antiphontis or. (5.) de caede Herodis §. 66. *ἀλλ' εἰ μὴ προςήκει μοι μηδὲν, ὥστ' ἀποκτεῖναι αὐτόν:* Xenoph. Anab. IV. 2. 23. *διεπράξαντο, ὥστε λαβόντες τοὺς νεκροὺς ἀποδοῦναι τὸν ἡγεμόνα.*

Necdum eadem de caussa perspectum est a quoquam interprete, quomodo sint perturbata ista Aeschinis in Ctesiphontea §. 249 (p. 639. R.) verba emendanda; perspexissent, opinor, critici, nec tantopere sudassent, si codicibus accuratius inspectis liberius conformatam esse orationem ex eaque aliquid assumendum vidissent, quod iterare oratori non placuit. Verba autem haec sunt: *Ὅταν οὖν λάβητε ῥήτορα ξενικῶν στεφάνων καὶ κηρυγμάτων ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἐπιθυμοῦντα, ἐπανάγειν αὐτὸν κελεύετε καὶ τὸν λόγον, ὥςπερ τὰς βεβαιώσεις τῶν κτημάτων ὁ νόμος κελεύει ποιεῖσθαι, εἰς βίον ἀξιόχρεων καὶ τρόπον σώφρονα.* Sic enim locum e codd. nonnullis non optimis constituit Bekk., quem sequuti sunt recentissimi editores Dindorfius et Bremius. Sed haec verba accuratius inspicienti primum parum placebit part. *καὶ* ante *τὸν λόγον*, cui, si Bekkeri lectio servaretur, sedes esset ante *εἰς βίον ἀξιόχρ.* assignanda: neque enim illud flagitatur ab oratore, ut orationem in vitae probitatem atque honestatem deducat, sed potius, ut in oratione, quam aliis plerumque in rebus tunc versatam esse supra notaverat Aeschines, etiam ad vitam provocetur fide laudeque dignam. Nec minor offensio eo oritur, quod quicumque haec verba legerit, post *καὶ τὸν λόγον* exspectabit verbum ex quo illud ipsum pendeat; ut omittam illud, quod quidem minoris momenti est, ex his verbis non luculenter liquere, utrum *ὁ λόγος* comparetur cum *βεβαιώσεσι*, an *ὁ βίος ἀξιόχρεως*. Atque licet consentaneum sit, oratorem voluisse dicere, *τὸν βίον ἀξιόχρεων* et *τρόπον σώφρονα* esse debere *τῶν λόγων βεβαιώσεις*, tamen idem illud *καὶ* ante *τὸν λόγον* inducere quempiam possit, ut rem contra se habere credat. Locus est igitur haud dubie aliter sanandus. Age vero, audiamus iam codices. Pro *τὸν λόγον* Reiskii omnes et Bekkeri c e d f k l n praestant: *τῶν λόγων*, mox post *ὥςπερ* codd. diversae familiae a e g k l m inserunt particulam *καὶ*, utrumque non dubito quin recte. Unde sic locus se habet emendatus: *ἐπανάγειν αὐτὸν κελεύετε καὶ τῶν λόγων, ὥςπερ καὶ τὰς βεβαιώσεις τῶν κτημάτων ὁ νόμος κελεύει ποιεῖσθαι, εἰς βίον ἀξιόχρεων καὶ τρόπον σώφρονα.* Est enim ad verba *καὶ τῶν λόγων* cogitatione repetendum, quod proxime legitur *τὰς βεβαιώσεις*, ut sensus sit: „advertere eum iubete orationis *confirmationes* et quasi *munimenta* ad vitam honestam modestosque mores, sicuti lex *etiam* possessionum

pignora quaedam imperat." I. e. iubete talem oratorem verba vita honesta, quasi quodam pignore deposito probare, confirmare. Nunc *καὶ* post *ὥςπερ* ascisci prope debere videmus: attenduntur enim *αἱ βεβαιώσεις τῶν λόγων* ad *βεβαιώσεις τῶν κτημάτων*.

Ita vel haec apud Andocidem or. (2.) de reditu §. 19. *τὰ δὲ μέλλοντά τε καὶ ἤδη πραττόμενα ἄνδρες ὑμῶν πεντακόσιοι ἐν ἀποῤῥήτῳ ἴσασιν, ἡ βουλή*, non poterant non attrectari ab interpretibus: verba enim postrema *ἡ βουλὴ* eiicienda censet cum Valckenario Sluiterus: quasi vero haec ipsa appositio hoc uno loco legeretur: imo est etiam apud Lycurgum Leocr. §. 37. *τὴν βουλὴν τοὺς πενταχοσίους* et apud Aeschinem in Ctesiph. §. 2. et §. 20. *τὴν βουλὴν τοὺς πενταχ.*, apud Lysiam in Epitaphio §. 21. *ἔστειλε πεντήκοντα μυριάδας στρατιάν*: cfr. Xenoph. Anab. I. 7. 15. et IV. 3. 16. Ratio huius structurae in eo videtur esse, ut quo complures res accuratius definiantur, his collectivum substantivum addatur, ex quo sit notio pluralis elicienda.

Ac ne tum quidem manus abstinuerunt homines critici, quum duo substantiva sic copulantur, ut alterum adiectivi instar esse videatur. Locus est apud Lysiam or. (13.) in Agoratum, ubi §. 79. *ἀνάγκη δὲ ἦν στρατηγοῦ ἀνδρὸς ἀκροᾶσθαι, εἴπερ ἔμελλον σωθήσεσθαι* Marklandus suspicatus est: *τοῦ στρατηγοῦντος ἀκροᾶσθαι*, quoniam supra *στρατηγῶν δὲ Ἄνυτος* dictum sit, non memor ille usus Graecorum, qui *ἀνὴρ* et *ἄνθρωπος* etiam substantivis iungi patitur, ut apud Aeschinem in Timarch. §. 54. *ἄνθρωπος δημόσιος οἰκέτης*, de F. Leg. §. 124. *τοῦ γόητος ἀνθρώπου*, eiusd. or. §. 183. *ἀνθρώπῳ συκοφάντῃ*, adversus Ctesiph. §. 154. *ἄνθρωπος Ἕλλην*. Lys. or. (30.) contra Nicomachum §. 28. *ἀνθρώπους ὑπογραμματέας*. Cf. Bernhardy in synt. p. 48. Sed hic non solus error est in hoc loco commissus. In Aldina enim quum pone *ἦν* Reiskius insertum legeret articulum *τοῦ*, eum etsi a nullo libro mscr. firmatum adoptavit, sic tamen quae sequuntur legenda esse ratus: *ἄνδρας φυγάδας ἀκροᾶσθαι*, qua correctione, quum exsules intelligi per se pateat, opus esse nego: nec magis articulum desidero: additus enim ad ipsum Anytum rediret, eo omisso quum quemvis imperatorem tum Anytum audiendum esse significatur, itaque generale quiddam exprimitur, quod indefinito nostratium articulo respondet: „*einem* Strategen mufsten sie Folge leisten", h. e. tali, qualis erat Anytus. Compares Lysiae or. (18.) *ὑπὲρ τῶν τοῦ Νικ. ἀδελφοῦ* §. 17., ubi in verbis *νυνὶ δὲ πάντες ἂν ὁμολογήσαιτε ὁμόνοιαν μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι πόλει*, articulus, qui librorum mscr.

auctoritate non fulciatur, recte omittitur: consensio enim non Athenis seorsum, sed singulis quibusque urbibus summum bonum esse dicitur.

Sic indefinitum etiam subiectum ubi intelligendum est, interpretes substantiva aut pronomina addi voluerunt, ut apud Lysiam or. (13.) in Agoratum §. 82: *ἐὰν οὖν τῇ ἐπὶ Φυλὴν ὁδῷ ἀπολογίᾳ χρῆται, ὑπολαμβάνειν χρὴ, εἰ Ἄνυτος αὐτῷ ἐγένετο αἴτιος μὴ ἀποθανεῖν ἑτοίμων ὄντων τιμωρεῖσθαι κ. τ. λ.* Reiskio post *ἑτοίμων* videbatur *ὑμῶν* esse addendum, quod facile excidere potuisse nemo negabit. At neque exstat in codd., neque omnino opus est. Ad haec igitur verba quia *Ἄνυτος εἷς μόνος* sit cum vi in enunciatione subiectum, Bremius supplendum esse ait *τῶν ἄλλων*. Neque *ἄλλος* mente suppleri posse infitiamur memores multorum locorum *), at hic potuisse negamus. Potius sic interpretanda sunt verba, ut indefinitum habeant subiectum, quod dicere solent esse *τὶς* vel *τινές*, quod tamen ipsum in participio latet: quare vertenda sunt proprie: quum essent, qui ad interficiendum parati essent, h. e. quum quidam essent ad interficiendum parati. Sic in Demosthenis Midiana §. 43. legendum est mea quidem sententia extrusa cum optimis codicibus particula *τις: ἂν μὲν ἑκὼν βλάψῃ* coll. §. 51. *εἰ καταγιγνώσκοι*, quibus complures libri addunt *τις*. Cfr. Schaefer. ad or. de F. Leg. §. 237. p. 415, 3. Atque apud Aeschinem in Ctesiph. §. 47. restitutum est *ἵνα κηρυττόμενος μείζω χάριν εἰδῇ τῶν στεφανούντων ὑμῖν*, quum antea vulgo contra librorum auctoritatem legeretur: *ἵν' ὁ κηρυττόμενος*: inest enim item generalis notio, ut *κηρυττ.* sit *ein* Bekränzter. Saepius ad infinitivum e contextu intelligendum generale quoddam subiectum, idque in Lysiae or. (24.) de Invalido §. 3. *καὶ γὰρ οἶμαι δεῖν, τὰ τοῦ σώματος δυςτυχήματα τοῖς τῆς ψυχῆς ἐπιτηδεύμασιν ἰᾶσθαι καλῶς* intelligendum esse contra Bremium bene est a Rostio annotatum. Cfr. praeterea Schaefer. in apparatu crit. ad Demosth. p. 415. 3. Fr. A. Wolfius ad Leptineae p. 494, 1.

Sed

---

*) Dem. Mid. §. 215. *καὶ τινων τῶν σφόδρα τούτων πλουσίων*, eiusd. or. §. 104., ubi quae vulgo leguntur *οὔτ' ἄλλο οὐδὲν ἐποιήσατ' ἐμποδὼν* etc. quum plerique omnes codd. *ἄλλο* omittant, emendanda sunt hoc modo: *οὔτ' οὐδὲν ἐποιήσατ' ἐμποδών*, Dem. de F. Leg. §. 335. *πάντα μᾶλλον λέγει*, Aeschin. in Timarch. §. 51. *οὐδὲν αἰτιᾶσθαι ἢ ὅπερ ὁ νομοθέτης παῤῥησιάζεται.* Sed ratio docet, *ἄλλος* cogitatione non suppleri, nisi ad indefinitam notionem numeralem, qualis est *οὐδὲν*, unde apparet, quoniam dictio *οἱ ἄλλοι* articulo addito definitum numerum indicat, eam nunquam ita suppleri posse.

Sed haec leviora sunt. Paullo implicatior structura vulgatae est in epistolarum, quae Aeschini falso attribuuntur*), quinta §. 5. p. 674, ubi verba e coniectura Reiskii contra libros mscr. in editionibus sic leguntur correcta: *καὶ οὕτω μὲν ὑπεραγαπῶ τὰ παρόντα, καὶ ὅπερ φασὶ Σοφοκλέα ἤδη γέροντα ὑπὲρ ἄλλης ἡδονῆς εἰπεῖν, ὥςπερ κυνὸς λυττώσης ἀπηλλάχθαι ποτὲ τῆς τοῦ πολιτεύεσθαι ἡδονῆς δοκῶ, καὶ ὅταν ὁ νοῦς ἐπικρατῇ, τριςευδαίμων ἔγωγε ἐμαυτῷ τῆς φυγῆς, ἣν φεύγω, φαίνομαι.* Libri enim mscr. habent: *καὶ ὅπερ — εἰπεῖν, ὥςπερ κυνὸς λυττώσης ἀπηλλάχθαι ποιεῖ τῆς τοῦ πολιτεύεσθαι ἡδονῆς, ᾧ καὶ ὅταν ὁ νοῦς ἐπικρατῇ, — φαίνομαι*, a qua scriptura non est quod longe recedamus, nisi quod *ποιεῖ* non mutandum, sed ut e manu glossatoris profectum abiiciendum esse arbitramur (cuius rei caussam infra indicabimus), ut locus ita se habeat: *καὶ ὅπερ φασὶ Σοφοκλέα — εἰπεῖν, ὥςπερ κυνὸς λυττώσης ἀπηλλάχθαι τῆς τοῦ πολιτεύεσθαι ἡδονῆς, ᾧ καὶ ὅταν ὁ νοῦς ἐπικρατῇ, τριςευδαίμων ἔγωγε ἐμαυτῷ τῆς φυγῆς — φαίνομαι.* Paullo est quidem impeditior structura verborum, sed ex vulgato et Graecorum et Romanorum more conformata, quo primariam sententiam cum secundaria ita connectant et commisceant, ut illa ex hac pendeat. V. Herm. ad Viger. p. 745. Bernhardy p. 464. Verbum igitur *ἀπηλλάχθαι* quum proprie oporteat referri ad Sophoclem, tamen per attractionem quandam sive ex negligentia sive ex commodidate natam, simul redit ad Aeschinem: quo fit, ut quae sequuntur *τῆς τοῦ πολιτεύεσθαι ἡδονῆς* cum *ἀπηλλάχθαι* cohaerentia ad Aeschinem pertineant solum. Iam vero naturam huius constructionis non perspicientes ut integrarent orationem, simulque Sophoclem se *fecisse* sive *finxisse* a voluptate tanquam a cane discerptum esse rabido, istud *ποιεῖ* inculcaverunt. Hinc locus sententiam enunciat hancce: „atque hoc modo (ut antea indicatum est) mirum quantum adamo praesentia et, ut cum Sophocle loquar, tanquam a cane rabido avulsus sum a voluptate cupiditateque res publicas administrandi, *qua re* si mens superior est, propter meum me exsilium vel beatum praedico." —

---

*) Sunt enim ingenio Aeschinis et dictione indignae: tamen quoniam cum eius orationibus coniunctae leguntur, in eas emendandas si non magna, at aliqua impendenda cura est: cuius quidem curae interpretes omnes quia taedebat, alia multa licet animadvertere nondum recte ita restituta, ut sint ad rhetoris mentem accommodata, alia festinanter correcta aut nulla cogente necessitate. De alio loco harum epistolarum infra disseremus.

Multa alia afferre possem, quibus ostenderem constructione impeditiore factum esse, ut de scriptura codicum mscr. mutaretur, si per fines huius libelli consiliumque liceret.

§. 6.

Reliquum iam est, ut propter *singula verba perperam aut omnino non intellecta* libros mscr. iniuria neglectos esse commonstrem. Nonnunquam enim ex tota conformatione sententiarum et contextu notio vocabulis accedit, quae per se in iis non inest. Ita in Lysiae or. (9.) *ὑπὲρ τοῦ στρατιώτου* §. 22. *τοὺς μηδὲν ἀδικήσαντας διὰ τὰς ἔχθρας μὴ περιίδητε ἀδίκως τοῖς μεγίσταις ἀτυχήμασι περιπεσόντας* in omnibus libris legitur *ἀδικήμασι*, quod est mea quidem sententia retinendum. Sunt enim *ἀδικήματα* hoc loco *criminationes ἀδικημάτων*, quae magis his nostris verbis conveniunt, quam *ἀτυχήματα*, praesertim quum in vocabulis *ἀδίκως* et *ἀδικήμασι* ludere videatur orator: „nolite iniuria eos, qui nihil iniuriarum fecerunt, in maximas iniuriarum criminationes incidere *)."

Eadem de caussa reddendum videtur Demostheni, quod ab omnibus adhuc videmus oratorum principi detractum. Legebatur enim in Midiana §. 23. p. 522. R. *καὶ συνείλοχα ὕβρεις αὐτοῦ καὶ πονηρίας τοσαύτας, ὅσας ἀκούσεσθε αὐτίκα δὴ μάλα:* at praestantissimi codd. *Π Σ Υς* vocabuli *πονηρίας* loco habent *ἀτιμίας*, quas si caussas *ἀτιμίας* vel facinora, quae *ἀτιμίᾳ* digna sunt, interpretere, hoc ipsum, ut fortius significantiusque retinendum esse patebit, praesertim quum notioni *ὕβρεως* aptius conveniat, quam *πονηρία*, idque ipsum illius vocis interpretamentum esse non sit obscurum. Comparari potest, quod est et ipsum contra Marklandi conieturam tuendum *τραυμάτων* in Lysiae or. (3.) *πρὸς Σίμωνα* §. 3.: *μάλιστα δ' ἀγα-*

---


*) Frustra etiam apud Andocidem (4.) contra Alcib. §. 24. pro *ἀδικημάτων*, quod praestant omnes libri, Reiskius reponi voluit *ἀτυχημάτων* in his (quae quidem sunt a nostro proposito alieniora): *ἐγὼ δὲ νομίζω — τηλικούτων πραγμάτων εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον αἴτιον δέξειν, ὥστε μηδένα τῶν προτέρων ἀδικημάτων μεμνῆσθαι*; imo multo est significantius, quod in libris invenitur *ἀδικημάτων*: sunt enim *τηλικαῦτα πράγματα* sive iniuriae Alcibiadis superioribus iniuriis sic oppositae, ut sensus sit: „tot ac tantas Alcibiadis iniurias esse apparebit, ut earum, quae ab aliis antea sunt illatae, iniuriarum memoriam obruturae sint." Hoc modo oppositionis sententiaeque vis vel flagitat spretum illud *ἀδικημάτων*.

ναχτῶ, ὦ βουλή, ὅτι περὶ τῶν τ ρ α υ μ ά τ ω ν εἰπεῖν ἀναγκασθήσομαι: Marklandus enim πραγμάτων corrigendum esse suspicatus non attendit, τραύματα omnia complecti, quaecumque cum vulneratione essent coniuncta ad eamque pertinerent. Pariter ἐ γ κ λ ή μ α τ α in Demosthenis Olynth. I. (sequor enim vulgarem ordinem) §. 7. ἐκ τῶν πρὸς αὐτοὺς ἐγκλημάτων probe intellexit Reiskius facinora esse, de quibus quereris.

Deinde quoniam non recte excussa est vis vocabuli ἀ δ ι κ ή μ α τ α in iis locis, quibus *de rebus pecuniariis* exponitur nimisque in universum usurpatum hoc esse creditum est, quam quod iniuriam, qua quis pecunias sibi aliunde mala fraude comparaverit, significare possit, saepius est attrectatum. Maxime autem disceptarunt critici de inscriptione *orationis Lysianae* septimae decimae π ε ρ ὶ δ η μ ο σ ί ω ν ἀ δ ι κ η μ ά τ ω ν, quam Marklandus et Taylor περὶ δημοσίων χ ρ η μ ά τ ω ν esse debere contenderunt, recepit adeo Bekkerus: aliis alia in mentem venerunt, mihique antea legendum videbatur περὶ δημοσίων διαδικασμάτων coll. §. 10. huius ipsius orationis, quam vulgarem inscriptionem locis aliis inspectis reque cautius examinata defensitandam esse intellexi. Nam publicationem bonorum praeter ius et fas factam, in qua haec tota est oratio, quamque sibi obtigisse actor conqueritur, profecto iniuriam ab universo populo privato cuidam illatam δημόσιον ἀδίκημα dici potuisse iam Reiskius p. 588. sibi persuasit, quanquam nec exemplis probavit nec rei prorsus videtur satisfecisse. Sic enim equidem existimo, τὰ ἀδικήματα in huiusmodi locis in universum pecunias praeter ius fasque sive publice sive privatim surreptas significare: idque ita esse, alius ipsius Lysiae locus testis est in or. (27.) contra Epicratem §. 6. νῦν δ' ἀσφαλῶς αὐτοῖς ἔχει τὰ ὑμέτερα κλέπτειν· ἂν μὲν γὰρ λάθωσιν, ἀδεῶς αὐτοῖς ἕξουσι χρῆσθαι· ἂν δὲ ὀφθῶσιν, ἢ μέρει τ ῶ ν ἀ δ ι κ η μ ά τ ω ν τὸν κίνδυνον ἐξεπρίαντο, ἢ εἰς ἀγῶνα καταστάντες τῇ αὐτῶν δυνάμει ἐσώθησαν: „aut *pecuniis isti suis mala fraude* in ista legatione *partis* adiuti omnibus sese discriminibus caussisque subduxerunt": nam ne hic quidem locus corruptus est, ut visum est Foertschio, nisi vero haec quoque pro corruptis habentur, quae sunt apud Pollucem VI, 154. δημοσίων ἀδικημάτων (sc. δίκη, nam inter ceteras lites haec quoque ibi commemoratur) quaeque praeterea laudantur a Valesio ad Harpocrationem p. 513. ed. Lips. Haec enim aperte δίκην δημοσίων ἀδικημάτων fuisse efficiunt (cfr. etiam quae Artemidorus I, 5. habet ἑάλω φεύγων δημοσίων ἀδικημάτων) idemque colligi poterat ex ipsis Harpocrationis verbis v. ἀδικίου δίκη: ο ἷ ο ν ἀ δ ι κ ή μ α τ ο ς, inquit, ἔστι δὲ ὄνομα δίκης κ. τ. ἑ.

Erat igitur caussa iis intenta, qui bona sibi publica iniuste arrogaverant. Huc accedit, quod ἀδικεῖν (ut Lys. or. (27.) contra Ergocl. §. 7.) atque ἀδικία sic usurpata videmus: apud eundem enim Lysiam or. (19.), quae est de bonis Aristoph. §. 10. qui orationem habet *) iudices rogat, ne patrem, qui eo nomine cum reliquis Aristophanis propinquis accusatus erat, quod ante publicationem bonorum eius multa summoverint clamque diripuerint, *huius criminis* condemnent, quippe quem in rempublicam dimidiam fortunarum suarum partem insumpsisse constet: quod quidem *crimen surreptarum fortunarum* ἀδικία vocatur. Sunt enim verba haec: *μὴ οὖν προκαταγινώσκετε ἀδικίαν τοῦ εἰς αὐτὸν μικρὰ δαπανῶντος, ὑμῖν δὲ πολλὰ καθ᾽ ἕκαστον τὸν ἐνιαυτόν* etc. Quae omnia si recte explicavi, illis locis ἀδικήματα relinquenda esse apparet. —

*) Huius in stemmate quia hic illic erratum video, id ipsum quomodo ex Lysia descripsi, hic subiungam:



Aristophanem autem, Nicophemi filium, sororem habuisse e §. 36. intelligitur: deinde oratorem, quum hanc orationem habuit, trigesimum, patrem vero septuagesimum annum egisse docemur §. 55. et 60. — Tum ille Xenophon idem est, qui commemoratur a Thucyd. II. 70. et 79., additur enim illic ὁ Εὐριπίδου. Denique quod posui *duas* patris oratoris filias, quanquam Schillerus in analectis ad Lys. oratt. p. 190. *tres* fuisse multis demonstrare studet, id feci ipsius oratoris verbis coactus, qui §. 17. *duali* τοῖν τε θυγατέροιν diserte utitur. Quare Tayloris rationem amplexari non dubitavi. Ceterum Phaedrum hunc Platonicum esse Th. Bergkius meus in ep. ad Schillerum huius Andocidi addita satis probavit.

Cap. III.

CONIECTURAS IN ALIQUOT LOCOS ORATORUM CONTINENS.

Quae non multo sudore extorquemus, neque diuturnis angentibusque curis et laboribus quasi enitimur, sed quae ultro se offerunt atque ex ingenio non praeiudicato quasi ex quodam puro inturbidoque fonte prosiliunt, ea consentaneum est naturae cuiusvis rei veritatique maxime congruere. Adeo enim veritas ex omnibus rebus perlucet tamque simplex est, ut splendore eius acies oculorum primo statim obtutu tangatur ac perfundatur, isque, cui diu sit multumque laborandum, quo hanc lucem cernat, aut sensus ingenii obtusos habere aut verum assequi omnino nolle videatur. Tamen homines interdum aut praeiudicata opinione aut ingenio aliis rebus occupato aut denique obtutu non bene acuto viribusque non acriter exercitatis ad rem illustrandam accedunt. Inde errores veteres operti, illati novi. Quid ergo mirum, quod apertissima vitia etiamnunc antiquis scriptoribus adhaerescant, iis praesertim, qui per tot saecula neglecti iacebant et paucos tantum eosque imperitos librarios experiebantur? Namque factum est etiam vitiorum ingenti multitudine, ut lapides, in quibus pedes offenderent, non amoverentur. Quod quidem inter oratores Atticos Lysiae et Andocidi et nonnullis aliis accidisse iam supra commemoravimus: in his igitur potissimum emendandis hic locus versabitur. — Possunt autem coniecturae locis impuris maxime aut *linguae violatae* aut *sensus depravati* aut *codicum dissensionis caussa* adhiberi. Ac prima quidem ratio in experientia et scientia linguae posita si deest, coniectandi ars ne cogitari quidem potest, tamen per se non tanti est, quanti ea, quam secundo loco posuimus: ut enim quid vere dixerit scriptor, eruamus, in penetralia quasi mentis eius animique descendendum nobis est ita, ut nostra mens sese alienae insinuet eamque tanquam exhauriat et absorbeat: unde apparet, quam non sit contemnenda haec divinandi vis, quae cum ipsa est philosophia cognata: nam quum ex tota omnium rerum conformatione divinare, quid sit *Deus* quidque quasi dicere voluerit, philosophiam dicimus, tum quid *homo* loqui voluerit, ex ingenio et indole, tanquam ex mundo eius exputare atque suspicari prorsus similem rationem, similem difficultatem, simile denique momentum pondusque habet. Postrema denique ratio, quae quomodo depravata repurganda sint ex codicum dissensione concludit, et

linguae scientia et sensus enodatione continetur. Iam singularum, quas posuimus, rationum exempla in medium proferamus.

§. 7.

Patet autem, nec linguae vitia exstirpari, quin de sententia quaeratur, nec sine linguae adiumento sententiam recte restitui posse, tamen nonnunquam dum verba per se nullas difficultates afferunt, sententiam tum ex omni conformatione orationis, tum ex rebus ad historiam pertinentibus violatam esse conspicitur.

Sic apud Lysiam or. (25.) de affectata tyrannide §. 25. nullus interpretum vidit in verbis *Ἄξιον δὲ μνησθῆναι τῶν μετὰ τοὺς τετρακοσίους πραγμάτων* locum minime esse posse *quadringentis*: omnia enim quae sequuntur ad tempus spectant, quod dominatum *triginta virorum* insequutum est: §. 27. enim ineunte de *ἀμνηστίᾳ* loqui oratorem, satis clarum est, clarius etiam de rebus post dominationem XXX virorum gestis sermonem esse haec verba significant, quibus per improbos cives *bis* oligarchia ideoque etiam ipsa dominatio XXX virorum instituta esse dicitur: *διὰ τοὺς ἐν τῇ δημοκρατίᾳ συκοφαντοῦντας ὀλιγαρχία δὶς κατέστη*: nec quicquam dubium relinquitur, si §. 28. et sqq. spectamus, quibus omnes res post ignominiosa ista ac tristia tempora fusius explicantur. Accedit, quod quum iam §. 11. orator quae sub imperio XXX virorum facta sint, se commemoraturum esse dixisset, absonum esset atque perversum nunc demum ea afferre, quae post quadringentos acciderunt. Quibus praemonitis caecutit, qui legendum esse non videat *μετὰ τοὺς τριάκοντα*.

Sensum depravatum esse existimo etiam in Lysiae or. (28.) contra Ergoclem §. 9. verbis, in quibus nemo dum, quod sciam, haesit; *ὁρῶ δ' αὐτοὺς διὰ τὴν πρώην ἐκκλησίαν οὐκέτι φειδομένους τῶν χρημάτων, ἀλλ' ὠνουμένους τὰς αὑτῶν ψυχὰς καὶ παρὰ τῶν λεγόντων καὶ παρὰ τῶν ἐχθρῶν καὶ παρὰ τῶν πρυτάνεων, καὶ πολλοὺς Ἀθηναίων διαφθείροντας*: quibus quidem isti vitam suam iis, quas civitati suffurati sint, pecuniis ab oratoribus, *ab inimicis*, denique a prytanibus redimere dicuntur. Cur inimici inter oratores et prytanes commemorentur equidem eo minus assequor, quod ipsi oratores et prytanes in numero inimicorum esse poterant. Accedit, quod in concione non soli, qui dicebant, iique, qui convocandam concionem et quid agendum esset, programmate publice affixo declarandum curabant, corrumpendi erant, si quis consequi aliquid a populo vellet, sed vel maxime ii, qui referebant ad populum et oratoribus copiam dicendi faciebant

omnineque praeerant concionibus: *proëdros* me dicere, neminem, opinor, fugiet. Tu igitur lege: *παρὰ τῶν προέδρων καὶ παρὰ τῶν πρυτάνεων*, praesertim quum hi in tali caussa frequentissime coniuncti legantur.

Nec quicquam in verbis Lysiae or. (18.) *περὶ δημεύσεως τοῦ Νικίου ἀδελφοῦ* §. 6. est, quod sit praeter usum loquendi dictum, ipsa tamen sententia emendatricem iis manum, quam nondum invenerunt, adhibendam esse efficit. Orator enim (filius Eucratis §. 4.) ut Niceratum democratiae semper studiosum fuisse demonstret, a XXXviris eum occisum esse perhibet, *οὔτε γένει οὔτε οὐσίᾳ οὐθ' ἡλικίᾳ δοκῶν ἀνάξιος εἶναι τῆς πολιτείας μετασχεῖν· ἀλλὰ τοιαῦτα ἐνόμιζε τὰ ὑπάρχοντα αὐτῷ πρὸς τὸ ὑμέτερον πλῆθος εἶναι καὶ διὰ τοὺς προγόνους καὶ αὐτὸν, ὥστε οὐκ ἄν ποθ' ἑτέρας ἐπιθυμῆσαι πολιτείας*: quorum sensus quum hic esse debeat: „Niceratus interfectus est ab istis XXXviris, non quod indignus esset, qui dominationis eorum socius fieret, sed quia *putabant*, tanta eum in populum merita tantamque apud multitudinem gratiam habere, ut nunquam conversam civitatis formam concupiscere videretur:“ legendum est necessario *ἐνόμιζον τὰ ὑπάρχοντα αὐτῷ*, quam coniecturam ea quae subsequuntur verba *συνῄδεσαν γὰρ ἅπασιν κ. τ. λ.* ita confirmant, ut de ea qui dubitat vim verborum rationemque minime perspectam habere videatur. Nam pluralis nisi praegreditur, is qui sequitur *συνῄδεσαν* quo referatur, non habet: utrumque autem et *ἐνόμιζον* et *συνῄδεσαν* ad XXXviros referendum esse quum per se patet, tum inde intelligitur, quod quae fuerint illa *ὑπάρχοντα αὐτῷ πρὸς τὸ πλῆθος* his ipsis *συνῄδεσαν κ. τ. λ.* accuratius explicatur.

Ita duobus in locis eiusdem Lysiae sola sententiae ratio in caussa est, cur verbum *ἰδίᾳ* mutari oporteat. Alter est in or. (18.) *ὑπὲρ τῶν τοῦ Νικίου ἀδελφοῦ* §. 2., ubi de *Niciae* praeclare factis expositurus orator sic pergit: *ἐκεῖνος γὰρ ὅσα μὲν τῇ ἑαυτοῦ γνώμῃ χρώμενος ὑπὲρ τοῦ πλήθους τοῦ ὑμετέρου ἔπραξε, πανταχοῦ φανήσεται πολλῶν μὲν ἰδίᾳ ἀγαθῶν αἴτιος τῇ πόλει γεγενημένος, πλεῖστα δὲ καὶ μέγιστα κακὰ τοὺς πολεμίους εἰργασμένος.* — Hic quid sibi velit *ἰδίᾳ*, non intelligitur. Quam enim in hoc voc. Bremius inesse opinatur notionem: „pacis tempore et quum munus publicum non obiret“, eam ut inesse concedam — quod non concedo, quum *ἰδίᾳ* ubique *privatim* valeat —, ab hoc tamen loco alienum esse dico, quo nonnisi de iis bene factis disseritur, quae publice in civitatem collata sunt a Nicia. Nec praetermittenda est oppositionis ratio: quae enim plurima et maxima incommoda hostibus attulit, iis *multa et magna* emolumenta in civitatem congesta opponuntur.

Unde legendum esse suspicor: *πολλῶν μὲν ἤδη ἀγαθῶν.* Nam quod Reiskius coniecit *πολλῶν μὲν νὴ Δία ἀγ.* nec dictioni Lysianae congruum est, ut recte a Bremio observatum puto *), nec, si esset, huic loco conveniret, ubi quod inter omnes constabat (*πολλαχοῦ φανήσεται*) nec necesse erat iure iurando confirmaretur, et perquam sedata est tota oratio. —

Minus etiam defendi potest *ἰδίᾳ* or. (19.) pro bonis Aristoph. §. 51. Hic enim Athenienses sceleratorum hominum calumniis permoti esse dicuntur, ut multis in rebus decepti insontes iniuste pessumdarent. Sic enim orator: *αἴτιοι οὖν εἰσὶ*, inquit, *καὶ ὑμῖν πολλῶν ἤδη ψευσθῆναι* **) *καὶ ἰδίᾳ ἀδίκως τινὰς ῥᾳδίως ἀπολέσθαι οἱ τολμῶντες ψεύδεσθαι καὶ συκοφαντεῖν ἀνθρώπους ἐπιθυμοῦντες.* Iam reputanti singulos et deceptos esse et periisse per scelera istorum hominum apparebit Bremii explicationem, qui *ἰδίᾳ* singulos intelligi eosque omni populo (*ὑμῖν*) opponi vult, ferri non posse, praesertim quum quae antea de Diotimo exposita sunt, ea nunc ad eam, quae agitur, caussam transferantur ideoque *καὶ ὑμῖν*: *etiam vobis* significare debeat. Oppositio igitur in his verbis nulla est: imo vero iis, quae succedunt verbis *καὶ ἰδίᾳ ἀδίκως* superiorum consequentiam contineri liquet, ut haec dicantur: „sunt isti scelerati homines in caussa, cur de multis falsam opinionem conceperitis *ideoque* iniuste quidam perierint. Unde nihil certius est, quam legendum esse: *καὶ δὴ ἀδίκως ἀπολέσθαι.*

Porro nemo offendit ad haec Lysiae verba, quae or. (20.) de Polystato §. 15. leguntur: *Καὶ οὐ φθονῶν τούτοις λέγω, ἀλλ' ἡμᾶς ἐλεῶν· οἱ μὲν γὰρ δοκοῦντες ἀδικεῖν ἐξῃτημένοι εἰσὶν ὑπὸ τῶν ὑμῖν προθύμων ἐν τοῖς πράγμασιν γενομένων, οἱ δ' ἠδικηκότες ἐκπριάμενοι τοὺς κατηγόρους οὐδὲν ἔδοξαν ἀδικεῖν:* at rationem sententiae qui accuratius rimatur, in postremis verbis macu-

*) Nam quod quispiam afferre possit ex or. (6.) in Andocidem §. 38. *ὡς οὖν οὐδὲν προσήκει Ἀνδοκίδῃ συνθηκῶν, περὶ τούτου λέξω, οὔτε μὰ τὸν Δία τῶν πρὸς Λακεδαιμονίους*, id ex oratione non Lysiana petitum esse istique, in quo legitur, loco magis convenire tenendum est, quam *νὴ Δία* huic, de quo quaerimus, aptum esset.

**) Post Schaeferi in melet. crit. p. 23. animadversionem nemo iam, opinor, articulum *τοῦ* pone *αἴτιος* desiderabit: quem desideraverat Reiskius quum aliis locis tum in Lysiae or. (13.) contra Agor. §. 82. *αἴτιος μὴ ἀποθανεῖν* et or. (27.) contra Epicratem §. 2. *αἴτιον εἶναι ψηφίσασθαι.* Sic *αἴτιος*, ut voc. ad explendam suam notionem aliquid additum requirens, saepissime cum solo infinitivo coniunctum legitur. Lys. or. (26.) *περὶ Εὐάνδρου δοκιμ.* §. 13. *αἴτιος — ἀποδοκιμασθῆναι.* Eiusd. or. (30.) contra Nicomachum §. 16. *κατελθεῖν — αἴτιον.* Antiphont. or. (5.) de Herod. caede §. 23. *αἴτιος — πεμφθῆναι.* Cfr. Bernhardy synt. p. 362.

maculam inesse intelliget. Orator enim *) multos, qui collegio quadringentorum interfuerint, absolutos esse ait. Alii enim, pergit, qui iudicibus sontes esse videbantur, poenis liberati sunt a viris, qui afflictis istis temporibus reipublicae maxime operam dederunt, alii, qui revera sontes erant, sed qui accusatores pecunia corruperant, *ne videbantur quidem* sontes esse. Haec oppositionis vis etsi fugere neminem potest, nemo tamen in hoc incidit, quod ab ea requiritur: *οὐδ᾽ ἔδοξαν ἀδικεῖν.*

Similiter *μηδὲ* videtur emendandum esse in Pseudo-Lys. or. (6.) contra Andocidem §. 24: *καὶ προςεψηφίσασθε ὑμεῖς αὐτὸν εἴργεσθαι τῆς ἀγορᾶς καὶ τῶν ἱερῶν, ὥστε μὴ ἀδικουμένῳ ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν δύνασθαι δίκην λαβεῖν.* Primum quo spectet dativus undeque pendeat non perspicitur: deinde *μὴ* non satis esse sententia efficit, quae haec est: „exclusistis istum Andocidem e foro et sacris, *ita ut ne tum quidem, quum sit iniuriis ab adversariis affectus*, poenam sumere possit;“ i. e. ut ne iniurias adversariorum quidem propulsare possit. Scripsit igitur, quisquis hanc orationem confecit: *ὥστε μηδ᾽ ἀδικούμενον ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν δύνασθαι δίκην λαβεῖν.*

Apertius vitium est, sed tectior medela in Pseudo-Lys. or. (6.) contra Andocidem §. 11., ubi haec mira verba a nullo dum sanata leguntur: *Ἀνδοκίδης δὲ τοσοῦτον καταπεφρόνηκε τῶν θεῶν καὶ ὧν ἐκείνοις δεῖ τιμωρεῖν, ὥστε πρὶν μᾶλλον ἢ ἧττον ἢ ἐπιδεδημηκέναι δέκα ἡμέρας ἐν τῇ πόλει προσεκαλέσατο δίκην ἀσεβείας πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ ἔλαχεν Ἀνδοκίδης, καὶ πεποιηκὼς ἃ οὗτος πεποίηκε περὶ τοὺς θεούς, καὶ ἵνα μᾶλλον πρόσχητε τὸν νοῦν, φάσκων τὸν Ἀρίστιππον ἀσεβεῖν περὶ τὸν Ἑρμῆν τὸν αὐτοῦ πατρῷον.* Primum repetitio nominis Andocidis prorsus inepta est turbatque orationem **). Quis enim, quaeso, dicet: „Andocides tantopere deos despexit, ut litem *ἀσεβείας* intenderet et sortiretur Andocides,“ nisi qui omnia confundat permisceatque? Quid vero de iis quae sequuntur verbis dicam? in quibus *οὗτος* nihil ha-

---

*) Orationem pro Polystrato ipse filius eius habet: patrem autem huic caussae interfuisse ex orat. §. 1. *οὗτος τυγχάνει Πολύστρατος* et §. 35. *ἡμεῖς δὲ τὸν πατέρα τουτονὶ καὶ ἡμᾶς ἐξαιτούμεθα* luculenter apparet.

**) Non equidem ignoro, similia interdum admitti, ut apud Aeschinem de F. Leg. §. 18. *ῥηθέντων δὲ τούτων ἐν τῷ δήμῳ ψήφισμα ἔγραψεν ὁ Φιλοκράτης ἑλέσθαι πρέσβεις ὑμᾶς πρὸς Φίλιππον, ἄνδρας δέκα, οἵτινες διαλέξονται Φιλίππῳ περὶ εἰρήνης καὶ τῶν κοινῇ ξυμφερόντων Ἀθηναίοις καὶ Φιλίππῳ.* Sed haec tamen aliter sunt comparata, quam quae apud Pseudo-Lysiam leguntur.

bet., quo pertineat, neque enim redire potest ad Andocidem: sed hoc ipsum vocabulum ostendit, aliud nomen latere in repetito nomine Andocidis, quo *cuinam* haec lis ab Andocide intenta fuerit declaretur. Perspicuum est autem ex omnibus iis, quae sequuntur, Archippum aut Aristippum ab Andocide *ἀσεβείας* insimulatum esse; utrumque enim deinceps legitur: *καὶ ἵνα μᾶλλον πρόσχητε τὸν νοῦν, φάσκων τὸν Ἀρίστιππον ἀσεβεῖν περὶ τὸν Ἑρμῆν τὸν αὑτοῦ πατρῷον· ὁ δὲ Ἄρχιππος ἠντιδίκει ἦ μὴν τὸν Ἑρμῆν ὑγιᾶ τε καὶ ὅλον εἶναι*: patet igitur alterutrum nomen aut Aristippi aut Archippi in utroque loco reponendum esse. *Archippus* autem quum inter eos, qui Hermas deiecisse dicebantur, commemoretur ab Andocide or. (1.) de mysteriis §. 13., nescio an huius nomen alteri iure praeferatur, praesertim quum Archippus quidam sit etiam in Fragment. Lys. 45. Bk. *ἐκ τοῦ κατὰ Τίσιδος*. Quod si recte coniecimus, in eo quoque loco, de quo quaerimus, Archippi nomen adoptandum esse patet. Sed qualis huic corruptissimo loco subiecta est sententia? Nulla alia, credo, nisi haec: „Adeo Andocides deos parvi fecit, eosque quibus violatae eorum religiones ulciscendae sunt, despexit, ut, priusquam plus minus decem dies in urbe commoratus esset, caussam impietatis ad regem sacrorum deferret *intenderetque Archippo, quamvis aeque nefanda contra deos atque ille ausus esset* etc.“ Sic istis monstris sublatis sententia bene procedit postulatque, ut locus hoc modo legatur: *Ἀνδοκίδης δὲ τοσοῦτον καταπεφρόνηκε τῶν θεῶν καὶ ὧν ἐκείνοις δεῖ τιμωρεῖν, ὥστε πρὶν μᾶλλον ἢ ἧττον ἐπιδεδημηκέναι δέκα ἡμέρας ἐν τῇ πόλει, προσεκαλέσατο δίκην ἀσεβείας πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ ἔλαχεν Ἀρχίππῳ, καίπερ* *) *πεποιηκώς, ἃ οὗτος πεποίηκε περὶ τοὺς θεούς, — φάσκων τὸν Ἄρχιππον κ. τ. λ.*

Non minus conturbata sententia est in loco Andocideae or. (1.) de mysteriis §. 29., ubi orator se impietatis contra deos crimen commisisse negans idque demonstrare in animum inducens: *καὶ γάρ*, inquit, *οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων ταῦτα τὰ δεινὰ καὶ φρικώδη ἀνωρθίαζον, καὶ λόγους εἶπον, ὡς πρότερον ἑτέρων ἁμαρτόντων καὶ ἀσεβησάντων περὶ τὼ θεώ, οἷα ἕκαστος αὐτῶν ἔπαθε καὶ ἐτιμωρήθη*. Plane absonum est *οἱ λόγοι — ἀνωρθίαζον καὶ λόγους εἶπον*: verba magna voce declamarunt et sermones dixerunt: quod sentientes viri docti correxerunt tum *οἱ λόγιοι τῶν κατηγόρων*, tum *οἱ πολλοί*, pro-

---

*) Ego antea quam sententiam et coniecturam meam cum Bergkio meo communicaveram, suspicatus eram *καίτοι*, sed amicus et collega studiorum munerisque optimus meliora me docuit.

que *λόγους* Sluiterus ponendum suasit *ἀλόγως*. At nemo non videbit, *οἱ πολλοὶ* nimium quantum languere, *οἱ λόγιοι* argutius doctiusque esse quam quod simplicitati Andocidis conveniat: idemque cadit in *ἀλόγως*, quod ne aptum quidem est propterea, quod quae sequuntur, vera sunt omnibusque cognita. Iam quorsum verba haec *καὶ λόγους εἶπον*? quae quidem adeo absurda sunt, ut mirer Reiskium, haec in huiusmodi scriptoribus *ἀκόμψοις* ferenda esse iudicantem. Sit incomptus et impexus Andocides, sed sana eius mens vindicanda est ideoque ipse ab huiusmodi dictis liberandus. Age, ista verba corrupta esse nego: imo vero male obtrusa et a grammatico insolentius verbum *ἀνωρθίαζον* explicaturo supra scripta esse iudico. Dubitantius tamen id profero, pro *οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων*, quod ne ipsum quidem stare potest; quoniam sermones magna voce clamare quum omnino dici non potest, tum minime hoc in loco, scribendum mihi videri *οἱ ἀξιόλογοι τῶν κατηγόρων*: plus certe probabilitatis hanc meam coniecturam quam aliorum habere puto. Inde locus est ita constituendus: *καὶ γὰρ οἱ ἀξιόλογοι τῶν κατηγόρων ταῦτα τὰ δεινὰ καὶ φρικώδη ἀνωρθίαζον, ὡς πρότερον ἑτέρων ἁμαρτόντων καὶ ἀσεβησάντων περὶ τὼ θεώ, οἷα ἕκαστος αὐτῶν ἔπαθε καὶ ἐτιμωρήθη*: sensusque: „*etenim accusatorum gravissimi et acerrimi, quique aliquo in numero habendi sunt, haec horrenda plenaque terroris magna voce clamarunt*, quo antea modo quam alii in utramque deam peccassent, qualia quisque eorum passus, quaque poena multatus esset."

Porro demiror equidem, in eiusdem or. (I.) de mysteriis §. 19. verbis multos quidem haesisse, a nullo tamen verum inventum esse, quanquam hoc ad inveniendum non ita erat difficile. Ibi enim haec sunt: *Τὰ μὲν γενόμενα ἠκούσατε, ὦ ἄνδρες, καὶ ὑμῖν οἱ μάρτυρες μεμαρτυρήκασιν· ἃ δὲ οἱ κατήγοροι ἐτόλμησαν εἰπεῖν, ἀναμνήσθητε· οὐ γὰρ καὶ δίκαιον ἀπολογεῖσθαι, ἀναμιμνήσκοντας τοὺς τῶν κατηγόρων λόγους ἐξελέγχειν.* Postrema verba sententiae minime congruunt, quae vel contrarium requirit: quod sentiens Reiskius coniecit legendum esse *οὕτω γὰρ καὶ δίκαιον ἀπολογ. κ. τ. λ.* hoc sensu: „Haec est enim iusta se defendendi ratio, ut accusatorum crimina commemorando refellantur": cui obtemperaverunt Wyttenbachius et Bekkerus: in quo melius egerunt haud dubie, quam ii, qui vulgatam tutantes signum interrogationis post *ἐλέγχειν* ponendum esse censuerunt. Interrogationi enim in tam simplici ac sedata oratione, qualem hic habemus, locus est nullus. Imo quum hoc dixisset orator: „recordamini, quae accusatores dispre sustinuerint": consentaneum est, ei pergendum fuisse ita,

ut *nisi ipsi rei commemoraverint accusatorum sermones*, eos non recte iusteque sese defendere diceret. Inde interserta negatione μὴ ita est mea quidem sententia scribendum: *Οὐ γὰρ καὶ δίκαιον ἀπολογεῖσθαι, μὴ ἀναμιμνήσκοντας τοὺς τῶν κατηγόρων λόγους ἐξελέγχειν:* „etenim ne iustum quidem est sese defendere, *nisi* rei iudicibus accusatorum verba in memoriam revocant, ut refutent.“ Satis igitur erat dixisse *μὴ ἀναμιμνήσκοντας τοὺς τῶν κατηγόρων λόγους*, sed quo magis hos sermones propterea afferre videatur, ut eos confutet, infinitivus *ἐξελέγχειν* est explicationis caussa additus. Denique quod negationem inserendam esse iudicavi, id non mirum videbitur ei, qui quantopere in negationibus adiiciendis omittendisque in Graecis scriptoribus erratum sit cognitum habeat.

Ita negationem verbis Lycurgi Leocr. §. 116. *ὑμεῖς δὲ αὐτὸν τὸν ἔργῳ καὶ οὐ λόγῳ τὸν δῆμον ἐγκαταλιπόντα ὡς οὐδὲν ἀδικοῦντα ἀφήσετε; μὴ δῆτα, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὑμῖν οὕτω πάτριον, ἀναξίως ὑμῶν αὐτῶν ψηφίζεσθε*, restituendam esse nullus dum, quod sciam, interpretum intellexit. Quod enim in codicibus est omnibus *οὔτε πάτριον*, id non est obscurum in *οὐδὲ πάτριον* esse mutandum. Dicit enim hoc orator: ne hoc faciatis, iudices, neve decernatis quicquam, quod vobis indignum sit, quoniam hoc moribus maiorum vestrorum repugnaturum esset.“ Maiores autem omnia alia de huiusmodi proditoribus decrevisse, iis, quae nunc afferuntur, exemplis, fusius probatur, quibus probatis iam §. 123. „Quid ergo? inquit, *ἆρά γε ὑμῖν δοκεῖ βουλομένοις μιμεῖσθαι τοὺς προγόνους πάτριον εἶναι Λεωκράτην μὴ ἀποκτεῖναι.* Unde consequens est, oratori illo superiore loco, de quo quaerimus, dicendum fuisse: ne eum dimittite impunem, quum haec res *ne maiorum quidem moribus conveniret*. Qua re stabilitur illa nostra coniectura.

Sensum depravatum esse nullus interpretum invenit apud Lysiam or. (12.) in Eratosthenem §. 2. *πρότερον μὲν γὰρ ἔδει τὴν ἔχθραν τοὺς κατηγοροῦντας ἐπιδεῖξαι, ἥτις εἴη πρὸς τοὺς φεύγοντας· νυνὶ δὲ παρὰ τῶν φευγόντων χρὴ πυνθάνεσθαι, ἥτις ἦν αὐτοῖς πρὸς τὴν πόλιν ἔχθρα, ἀνθ' ὅτου τοιαῦτα ἐτόλμησαν εἰς αὐτὴν ἐξαμαρτάνειν. οὐ μέντοι ὡς οὐκ ἔχων οἰκείας ἔχθρας καὶ συμφορὰς τοὺς λόγους ποιοῦμαι, ἀλλ' ὡς ἅπασι πολλῆς ἀφθονίας οὔσης ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἢ ὑπὲρ τῶν δημοσίων ὀργίζεσθαι.* Orator postquam antea quidem inimicitias, quae inter actorem et reum intercesserint, actori indicandas fuisse dixit, hoc tempore rem plane secus se habere pergit: nunc enim, ex reo quaerendum esse, quaenam ipsi cum urbe intercedat inimicitia, qua factum sit,

ut tanta mala ei afferret. „Nec tamen, inquit, verba facio, ac si non haberem privatas inimicitias et *calamitates*, quas possem afferre: imo vero quum omnibus tum mihi maior copia est de privatis rebus, quam de publicis succensendi.“ Haec quidem sunt satis plana, nisi quod *συμφορὰς* vim argumentationis prorsus conturbat. Quid enim, quaeso, hic sibi volunt istae calamitates? Num forte eae quoque cum inimicitia ante caussam actori probandae erant et indicandae? Minime vero. Imo Lysias etiamsi nunc quidem actor suas in reum inimicitias indicare non iam soleat, se tamen magnas inimicitias ac dissensiones habentem verba facere ait. Unde dixisse Lysiam colligo: *οἰκείας ἔχθρας καὶ διαφοράς*. Ita *διαφοραὶ* cum *συμφοραῖς* permutatae leguntur apud Lysiam or. (3.) *πρὸς Σίμωνα* §. 40., ubi pro *τὰς ἐκ τῶν πραγμάτων διαφορὰς* in cod. O *) scriptum est *συμφοράς*.

Porro in fragmento Lysiae, quod servavit Dionysius Halic. II. p. 601. quodque sextum est apud Bekkerum p. 401., orator suam dicendi imperitiam adolescentiamque Archebiadi excusans, qui eum aes alienum a se accepisse, hoc tamen dissolvere sibi noluisse accusaverat, uti ex hoc fragmento apparere videtur, sua ipsius tunc dicta affert, quibus isti persuaderet, ut coram amicis aperiret, unde quoque modo illud aes alienum esset contractum, eumque exhortaretur, ne quicquam praetermitteret: *κἂν δοκῇς*, inquit, *ἀληθῆ λέγειν ἐκείνοις* (amicis), *οὐδέν σοι δεήσει πραγμάτων, ἀλλὰ λαβὼν ἄπει τὰ σαυτοῦ· δίκαιος δέ εἰμι μηδὲν παραλιπεῖν, ἀλλ' εἰπεῖν ἅπαντα, ἐπειδὴ νεώτερός εἰμι τοῦ συμβουλεύειν, ἵνα ἀκούσαντες περὶ ὧν οὐκ ἴσμεν βουλευσώμεθα περὶ ὧν σὺ λέγεις, ἐάν πως φανερὸν γένηται πότερον ἀδίκως τῶν ἐμῶν ἐφίεσαι ἢ δίκαιος τὰ σεαυτοῦ ζητεῖς κομίσασθαι.* Ex iis, quae supra exposui, consequitur legendum esse *δίκαιος δὲ εἶ μηδὲν παραλιπεῖν* (syllabam enim *μι* e sequenti *μη* natam esse puto): idque confirmant verba *ἵνα — βουλευσώμεθα περὶ ὧν σὺ λέγεις*, et quae subinde leguntur *οὐδεπώποτε ἠθέλησε συνελθεῖν οὐδὲ λόγον περὶ ὧν ἐνεκάλει ποιήσασθαι.* Deinceps prius *περὶ* in verbis *ἀκούσαντες περὶ ὧν οὐκ ἴσμεν* non dubium mihi videtur, quin expungendum sit, ut ex eo, quod sequitur *βουλευσώμεθα περὶ ὧν σὺ λέγεις* huc transposi-

*) Qui quidem corruptelis refertus est permultis, ut or. (3.) *πρὸς Σίμ.* §. 38. 39. et sequentibus, or. (4.) *περὶ τραύμ. ἐκ προνοίας* §. 13. atque prope innumerabilibus in locis or. (7.) de olea sacra: itemque in corruptissima oratione (8.), quae *κακολογιῶν* inscribitur, ubi plerumque cum cod. D. conspirat.

tum: orator enim hoc dicit: „ut, si haec audierimus, quae nescimus, de iis, quae profers, disceptemus."

Corruptum est etiam Lysiae fragmentum ex oratione contra Tisidem petitum, quod ab eodem Dionysio Hal. VI. p. 983. relictum est, legiturque in editione Bekkeriana p. 406. (Fragm. 45.) Ibi Archippus quidam in eandem palaestram intrasse perhibetur, in qua Tisis, inimicus eius, versabatur. Mox inter se rixantes alter alterum eludit et conviciatur. Tisis rem ad Pytheam amatorem eundemque tutorem suum defert, qui ei suadet, ut se in praesentia quidem cum illo reconciliet, sed videat tamen, num forte postea solum eum deprehendere possit. Quibus Pytheae dictis Tisidem obtemperasse inde a §. 3. sic narratur: *πεισθεὶς δὲ ταῦτα καὶ ἀπαλλαγεὶς καὶ χρώμενος καὶ προσποιούμενος ἐπιτήδειος εἶναι εἰς τοῦτο μανίας τηλικοῦτος ὢν ἀφίσταται, ὥστε ἐτύγχανε μὲν οὖσα ἱπποδρομία Ἀνακείων, ἰδὼν δ' αὐτὸν μετ' ἐμοῦ παρὰ τὴν θύραν ἀπιόντα — τὸ μὲν πρῶτον συνδειπνεῖν ἐκέλευεν κ. τ. λ.* Hic primum pro *ἀπαλλαγεὶς*, quod sensu destitutum est, facile intelligitur scribi oportere *διαλλαγεὶς*, Tisidem enim a Pythea in Archippi gratiam redire iussum esse paullo ante diserte dictum erat: *ἐκέλευσεν αὐτὸν, — ἐν μὲν τῷ παρόντι διαλλαγῆναι.* Deinde verba *ὥστε ἐτύγχανε — ἐκέλευεν* inter se minime cohaerent. Quis enim unquam dixit: eo insaniae processit, ut forte fieret hippodromia Dioscuriorum nosque ille videret domum redeuntes? Atqui patet, nonnisi haec *ὥστε τὸ μὲν πρῶτον συνδειπνεῖν ἐκέλευεν* et quae sequuntur inter se copulari posse eaque, quae interposita sunt *ἐτύγχανε μὲν οὖσα ἱπποδρομία Ἀνακείων, ἰδὼν δ' αὐτὸν μετ' ἐμοῦ παρὰ τὴν θύραν ἀπιόντα* indicare, quo illud tempore quaque occasione factum sit. Scripsisse igitur Lysiam puto: *εἰς τοῦτο μανίας τηλικοῦτος ὢν ἀφίσταται, ὥστε ὅτ' ἐτύγχανε μὲν οὖσα ἱπποδρομία Ἀνακείων, ἰδὼν δ' αὐτὸν μετ' ἐμοῦ παρὰ τὴν θύραν ἀπιόντα —, τὸ μὲν πρῶτον συνδειπνεῖν ἐκέλευεν κ. τ. ἕ.* Quorum verborum haec erit sententia: „eo insaniae processit, ut quum forte in hippodromia Dioscuriorum eum mecum vidisset domum redeuntem, primum ad coenam, dein quum hoc recusasset ille, ad potationem invitaret inque ea pessime eum tractaret."

Prorsus perturbatus sensus est in Bekkeri fragmento 47. (p. 408.) ex oratione pro Pherenico de Androclidis hereditate sumpto, quod Suidas v. *Οὐσία φανερὰ* servavit: *εἰ μὲν γὰρ ἀγροὺς κατέλιπεν Ἀνδροκλείδης ἢ ἄλλην φανερὰν οὐσίαν, ἐξῆν ἂν εἰπεῖν τῷ βουλομένῳ ὅτι οὐδὲν μὲν ψεύδεται, αὐτῷ δὲ δέδοται· περὶ ἀργυρίου καὶ χρυσίου καὶ ἀφανοῦς οὐσίας δῆλον ὅτι ὅστις*

ἔχων αὐτὰ φαίνεται, τούτῳ δέδοται. Haec sibi repugnare perspicuum est. Ex posteriore enim huius fragm. parte hanc sententiam flagitari apparet: „si enim Androclides agros reliquisset, cum Pherenico quivis posset de possessione horum agrorum contendere, easque sibi vindicare, at de auro argentoque controversia oriri potest nulla, sed qui haec possidet, ei data sunt: agri enim ab omnibus conspiciuntur, aurum argentumque non item. Hinc nescio an recte coniiciam illa verba ita esse emendanda: ἐξῆν ἂν εἰπεῖν τῷ βουλομένῳ ὅτι οὗτος μὲν ψεύδεται, αὐτῷ δὲ δέδοται· περὶ δ' ἀργυρίου καὶ χρυσίου κ. τ. ἑ. οὗτος tum Pherenicus intelligitur, αὐτῷ autem ad βουλομένῳ redit.

Ferri minime possunt, quae sic leguntur in Pseudo-Lysiae or. (6.) contra Andocidem §. 38. extr. ὡς οὖν οὐδὲν προςήκει Ἀνδοκίδῃ τῶν συνθηκῶν, περὶ τούτου λέξω — οὐδενὶ γὰρ ὑμῶν τοσούτων ὄντων τὰ αὐτὰ ἁμαρτήματα οὐδ' ὅμοια ἦν τοῖς Ἀνδοκίδου, ὥστε καὶ τούτου ἡμῶν ἀπολαῦσαι. Orator enim pactiones ad Andocidem pertinere negat: „nullius enim vestrum, pergit, errores similes erant delictis istius hominis, ut *eodem quo vos iure vestrisque pactionibus* uteretur“: i. e. graviora sunt et a vestris dissimiliora istius hominis delicta, quam ut *iisdem, quibus vos*, eum iuribus uti aequum sit. Hinc genitivum ἡμῶν sententiae non satis facere apparet. Hoc quum Reiskius sensisset, hariolatus est καὶ τῶν συνθηκῶν, quod quum nimium remotum sit a vulgari scriptura, parum habet probabilitatis: magis placeret, quod Marklando in mentem venit ὥστε καὶ τῶν αὐτῶν ἡμῖν ἀπολαῦσαι, nisi simplicior haec verba emendandi via esset aperta: interposito enim articulo neutrius generis legendum esse existimo: ὥστε καὶ τούτου τῶν ἡμῶν ἀπολαῦσαι. Iam τὰ ἡμῶν sunt ipsae συνθῆκαι intelligendae. Est vero huic suspicioni in eo confirmatio non minima, quod in codd. G M, licet non sint adeo magni faciendi *), τούτων exaratum reperitur. Ac si forte quis est, quem concursus genitivorum diversi generis offendat, is meminerit Xenophontem eodem modo loquutam esse in Hellen. II. 2. 9. τῶν αὐτῶν ἐστέροντο et in Anab. V. 5. 18. καὶ βίᾳ οὐδὲν ἐλαμβάνομεν τῶν ἐκείνων.

Factum est enim saepenumero, ut literae subsequentes propterea, quod eaedem antecedebant, exciderint. Sic ὅς pone ἀτυχέστερος excidisse mihi

---

*) Atque cod. G quidem cum Reiskii Augustano conspirare solet, sic in Epitaphio §. 61. ὀλοφύρεσθαι et ἦν ἰδίᾳ §. 68. κινδυνεύοντες §. 75. ποιούμεθα et ἀσπαζόμεθα uterque exhibet.

persuasum est in loco nondum emendato Pseudo-Aeschinis, in cuius epp. II. §. 3. et 4. p. 664. haec ad Ctesiphontem scripta exstant: ἐγὼ δὲ οὐκ ἂν διὰ ταῦτα φαυλότερος νομισθείην, ἀπὼν ὑπὸ σοῦ λοιδορούμενος, ἀτυχέστερος μέντοι καὶ ἐλεεινότερος ἴσως νομισθεὶς ποτὲ μὲν οὐδὲν ἧττων· νῦν δὲ οὐδεμίαν ὑπὲρ αὐτοῦ φωνὴν ἐκπέμπειν, ἀλλ' οὐδὲ ἀκούειν λοιδορούμενος δύναμαι. Locus procul dubio corruptus est. Primum enim verbum νομισθεὶς supervacaneum est, si ad ἀτυχέστερος καὶ ἐλεεινότερος refertur, sin ad sequentia ποτὲ μὲν οὐδὲν ἧττων, non est suo positum loco: deinde verba: ποτὲ μὲν οὐδὲν ἧττων et νῦν δὲ — δύναμαι non recte sibi respondent, quanquam debere ex orationis conformatione satis liquet. Quare sic existimo, ἴσως νομισθεὶς esse a quodam grammatico, qui ex superiore νομισθείην ἂν hic νομισθεὶς assumendum esse significaturus erat, profectum, quae suspicio confirmatur eo, quod in uno cod. est φανεὶς pro νομισθείς: unde credibile est supra scriptum fuisse: ἴσως νομισθεὶς ἢ φανείς *). Nunc locus est ita constituendus: ἐγὼ δὲ οὐκ ἂν διὰ ταῦτα φαυλότερος νομισθείην, ἀπὼν ὑπὸ σοῦ λοιδορούμενος, ἀτυχέστερος μέντοι καὶ ἐλεεινότερος, ὃς ποτὲ μὲν οὐδενὸς ἧττων (sc. ἦν, quod nisi placet, scribe ἡττώμην coll. Valcken. diatribe p. 261.), νῦν δὲ οὐδεμίαν ὑπὲρ αὐτοῦ (pro ἐμαυτοῦ) φωνὴν ἐκπέμπειν, ἀλλ' οὐδὲ ἀκούειν λοιδορούμενος δύναμαι. Quorum sententia haec erit: „Ego vero propterea non deterior iudicabor, si absens a te male tractor, sed vel infelicior et misericordia dignior, qui nullo olim inferior eram, nulli olim cessi, nunc tamen tantum abest, ut vocem mei defendendi gratia emittere mihi liceat, ut ne audire quidem possim tua convicia."

§. 8.

*) Quod verba ἴσως νομισθεὶς ab nescio quo grammatico assuta esse posteaque in ordinem verborum surrepsisse censui, id alibi quoque factum, non tamen semper ab interpretibus animadversum esse videmus, uti in loco Quinctiliani institut. orat. X. 1. 4., siquidem ego recte coniicio. Ibi haec sunt in editionibus: „Verum nos non quomodo instituendus orator, hoc loco dicimus —, sed athleta, *qui omnes iam perdidicerit a praeceptore numeros*, quo genere exercitationis ad certamina praeparandus sit." Sic enim e sola coniectura in editionibus Basill. exaratum est, apposita tamen scriptura *omnium codicum*, quam neglectam esse ab interpretibus aegre ferimus, *qui omnia iam perdidicerit a praeceptore nimirum*, quae evincere mihi quidem videtur, verba *a praeceptore nimirum* a grammatico vel interprete supra aut ad marginem allita esse, ne quis forte crederet, athletam haec a se met ipso didicisse, scribendumque: *qui omnia iam perdidicerit, quo genere* etc. Haec enim athletam, ut quemvis discipulum, a praeceptore didicisse sponte intelligitur. Tum *perdiscere* de ratione sive theoria, quam vocant, accipiendum. Ceterum sic innumerabilia vitia latent in egregiis Quinctiliani scriptis, quorum magnam partem sperandum est a nuperrimo editore eliminatum iri.

§. 8.

Nec tamen infitiandum est, *in interponendis inserendisque iis, quae excidisse suspicamur,* artem criticam rem esse fallacissimam, quapropter maxima hac in re cautio debet adhiberi. Est enim facilius, ubi aliquid, quam quid exciderit coniectura augurari. Interdum quidem certius potest, quid illud sit, definiri, ut apud Lysiam or. (4.) *περὶ τραύματος ἐκ προνοίας* §. 13. extr. *οὐ γὰρ ἀργύριον λαβεῖν προθυμοῦνται* (sc. *οἱ ἐχθροὶ*), *ἀλλ' ἐκ τῆς πατρίδος ἐκβαλεῖν αὐτὸν ποιοῦνται*, quae postrema verba depravata esse omnes fere viri docti animadvertentes aut *σπουδὴν ποιοῦνται*, aut *αὐτὸν πειρῶνται*, aut *αὐτὸν περὶ παντὸς* vel *περὶ πλείστου ποιοῦνται* correxerunt. Accuratius tamen in codicum vestigiis insistens legendum equidem existimo: *ἀλλ' ἐκ τῆς πατρίδος ἐκβαλεῖν δεῖν αὐτὸν οἴονται:* „sed ex patria eum eiiciendum esse censent": neque puto quenquam hac *κακοφωνίᾳ* offendi, quippe quam nec alii oratores (Isocratis multos locos nuper Strangius in Iahnii Annall. congessit, ut legere memini) nec ipse Demosthenes anxie spreverit, ut Phil. III. §. 24. *πάντες ᾤοντο δεῖν — πολεμεῖν*, ibidemque §. 27. *πολεμεῖν ᾤοντο δεῖν.*

Certius est etiam, inserendum articulum esse in Lysiae or. (25.) *δήμου καταλύσεως ἀπολ.* §. 22. *ἐπειδὴ δὲ πυνθάνοισθε τοὺς μὲν τρισχιλίους στασιάζοντας ἐκ τοῦ ἄστεος*, ut legatur *στασιάζοντας τοὺς ἐκ τοῦ ἄστεος:* tunc enim in Attica tres partes fuere, primum *οἱ ἐξ ἄστεος*, quorum sunt tria milia (§. 21. *τοῖς μὲν γὰρ ἐξ ἄστεος ὑπὲρ τῶν παρεληλυθότων ἄδειαν ποιήσειν*) sive *οἱ ἐν ἄστει* (§. 21.), deinde *οἱ ἄλλοι πολῖται ἐκκεκηρυγμένοι*, qui postea Piraeeum expugnaverunt indeque dominatum XXXvirorum everterunt, unde *οἱ ἐκ Πειραιῶς* vocantur, denique ipsi XXXviri.

Sed aliorum, quae interponenda videntur, quo aliud alio probabilius est, eo magis in ancipiti haeret iudicium. Sic in Epitaphio (2.) §. 41. *ἐπέδειξαν δὲ πᾶσιν ἀνθρώποις —, ὅτι κρεῖττον μετ' ὀλίγων ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας κινδυνεύειν ἢ μετὰ πολλῶν βασιλευομένων ὑπὲρ τῆς αὐτῶν δουλείας* ad concinnitatem post *ὀλίγων* aliquid deesse ex eo quod sequitur *μετὰ πολλῶν βασιλευομένων* perspicuum est, sed quoniam statim post *ἐλευθερίας* legitur, facilius mihi quidem *ἐλευθέρων* omitti potuisse videtur, quam quod Reiskio in mentem venit *αὐτονομουμένων.*

Porro Pseudo-Lys. or. (6.) contra Andocidem §. 31. *καὶ ὅταν τις τὸν αὑτοῦ βίον τοῖς ἐχθροῖς καὶ τοῖς συκοφάνταις διανέμῃ, τοῦτ' ἔστι τὸ τὸν βίον*

ἀβίωτον verisimile est *βιοῦν*, quod inseratur necesse est, post *βίον* omissum esse.

Item or. (12.) in Eratosthenem §. 84. oppositio probat, aliquid praetermissum esse a librariis. Nam qui haec legerit: *ἐπειδὴ τοίνυν πάντα ποιοῦντες δίκην παρ' αὐτῶν οὐκ ἂν δύναισθε λαβεῖν, πῶς οὐκ αἰσχρὸν ὑμῖν καὶ ἡντινοῦν ἀπολιπεῖν, ἥντινα τις βούλοιτο παρὰ τούτων λαβεῖν*, statim vocabulum *ἡντινοῦν* nihil habere oppositi videbit: nam potuerunt sane *δίκην λαβεῖν*, sed eam non sufficientem, delictis non prorsus accommodatam, quare Reiskius post *δίκην* infert *ἱκανὴν*, quod est supra §. 83., veri tamen similius esse credo *δικαίαν* addendum esse, quod propter viciniam voc. *δίκην* facile negligi potuerit.

Eadem oppositio efficit, ut apud Andocidem or. (1.) de mysteriis §. 56. aliquid male omissum esse suspicer. Minime enim ferri possunt verba sic scripta: *ἐμοὶ γάρ, ὦ ἄνδρες, τοῦδε τοῦ ἀγῶνος τοῦτ' ἔστι μέγιστον, σωθέντι μὴ δοκεῖν κακῷ εἶναι, εἶτα δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας μαθεῖν, ὅτι οὔτε μετὰ κακίας οὔτε μετ' ἀνανδρίας οὐδεμιᾶς τῶν γεγενημένων πέπρακται ὑπ' ἐμοῦ οὐδέν, ἀλλὰ διὰ συμφορὰν κ. τ. λ.* Ex verbis enim *καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας* satis luculentum est, populo Atheniensium ante omnia oratorem non improbum videri velle: sunt igitur *οἱ ἄλλοι ἅπαντες* auditoribus oppositi. Unde legendum equidem conieci: *τοῦτ' ἔστι μέγιστον, σωθέντι ὑμῖν μὴ δοκεῖν κακῷ εἶναι, εἶτα δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας μαθεῖν κ. τ. ἑ.*, aut, si quid ex verbis infra positis *σώζεσθαί τε ἀξιῶ καὶ δοκεῖν ὑμῖν εἶναι μὴ κακὸς* concludendum est: *σωθέντι μὴ δοκεῖν κακῷ ὑμῖν εἶναι* hoc sensu: „ad id potissimum annitor, ut si absolutus ero, vobis me non improbum praebeam, deinde vero, ut ceteri quoque omnes intelligant, haec a me nec malitia nec ignavia facta esse.“ *Σωθέντι* autem retinendum esse, neque cum Emperio *) in *πρῶτον μὲν* immutandum ex iisdem quae iam supra excitata sunt verbis *σώζεσθαί τε ἀξιῶ καὶ δοκεῖν ὑμῖν εἶναι μὴ κακὸς* apparet: quae *ὑμῖν* excidisse mirum quantum confirmant. Est enim *σώζεσθαι* h. l. absolvi. —

Age vero, ab his infirmis, instabilibus, lubricis ad certiora et clariora. Atque e contrario quidem nonnunquam factum videmus, ut ex proximis per negligentiam librariorum iterata sint, quae sensum conturbant. Quod loco Lysiae or. (20.) §. 18. accidisse nondum recte perspectum est. Quae enim

---

*) Illud suspicatus eram, quum ex ephemerid. Darmstad. Emperium, e colloquiis Bergkium meum in eandem coniecturam incidisse intellexi.

ibi leguntur: *τῷ μὲν γὰρ οὐδ' εἴ τις εἶχε μαρτυρίαν, εἶχε μαρτυρεῖν διὰ τὸ δέος τὸ τῶν κατηγόρων, τοῖς δὲ καὶ τὰ ψευδῆ δεδοικότες ἐμαρτύρουν.* Ut linquam ingratam esse repetitionem eiusdem verbi *εἶχε*, alterius verbi *εἶχε* loco sensus requirebat certe *ἐτόλμησε*, nam poterat quidem testari unusquisque, sed nullus est prae metu istorum accusatorum ausus. Iam vero, quaeso, qualis haec esset sententia, quae verbis, uti scripta sunt in codd., exprimeretur, „etiamsi testari quis ei potuisset, non tamen *potuisset* ob metum?" Haec nonne absona sunt? Accedit, quod in cod. Vindobonensi alterum istud *εἶχε* non exstat. Quid inde? Scilicet id ipsum expungendum est ut e priore huc illatum scribendumque *ἐμαρτύρει*, ut locus sic sese habeat: *τῷ μὲν γὰρ οὐδ' εἴ τις εἶχε μαρτυρεῖν, ἐμαρτύρει διὰ τὸ δέος τὸ τῶν κατηγόρων* sensusque sit: „Etiamsi testari quis ei potuisset, non tamen testatus esset, metuens istos accusatores."

Eodem modo si non magnam at aliquam lucem allaturus esse mihi videor loco densissima caligine obtecto, si nonnulla aliunde illata excidero eiusd. or. §. 24., ubi a Polystrato patre se in Siciliam missum esse ibique multa bene gessisse praedicat orator sic dicens: *καὶ ἐμὲ μὲν εἰς Σικελίαν ἐξέπεμψεν* (sc. pater) *ὑμῖν δ' οὐκ ἦν, ὥστ' εἰδέναι [κατειλεγμένον εἰς] τοὺς ἱππέας, οἷος ἦν τὴν ψυχὴν, ἕως τὸ στρατόπεδον σῶν ἦν· ἐπειδὴ δὲ διεφθάρη καὶ ἀνεσώθην εἰς Κατάνην, ἐληϊζόμην ὁρμώμενος ἐντεῦθεν καὶ τοὺς πολεμίους κακῶς ἐποίουν κ. τ. λ.* Haec nemo intelliget. Sed verbis §. 25. (quae quidem ne ipsa quidem omni ex parte sana sunt) accuratius examinatis docebimur, filium Polystrati etsi inter equites delectus esset, tamen initio, fortasse quod equi deerant, in equitatu stipendia merere non potuisse, sed interim inter *ὁπλίτας* ei fuisse dimicandum, postea demum, quum Catanaei equos ministravissent, et ipsum equestrem militiam obiisse. Hanc rem revera ita sese habere, quum omnia verba §. 25. probant *καὶ ἐπειδὴ Καταναῖοι ἠνάγκαζον ἱππεύειν, ἵππευον, καὶ οὐδενὸς οὐδ' ἐνταῦθα κινδύνου ἀπελιπόμην*, tum maxime illa *οὐδ' ἐνταῦθα* mutatam esse militandi rationem efficiunt. Neque igitur recte egit Bekkerus, qui cod. C. permotus verba *ἵππευον καὶ* uncis incluserit. Iam vero res ad liquidum eo perducitur, quod deinde orator et equitem se et militem gravis armaturae fuisse dicit: *ὥστ' εἰδέναι ἅπαντας οἷος ἦν τὴν ψυχὴν ἱππεύων τε καὶ ὁπλιτεύων.* Atqui haec ipsa verba huic quidem loco, quo qualem se in omni sua militia exhibuerit ostendit orator, bene conveniunt, minime conveniunt loco, ubi eadem leguntur §. 24. turbatamque sententiam magis etiam turbant.

Ergo haec illinc videntur irrepsisse. Quae quum ita sint, ut sententiae verbisque certe aliqua ex parte subveniam, sic lego: *καὶ ἐμὲ μὲν εἰς Σικελίαν ἐξέπεμψεν, ἡμῖν δ' οὐκ ἦν ἱππεύειν, ἕως τὸ στρατόπεδον σῶν ἦν*; omissis verbis interpositis *ὥστ' εἰδέναι — οἷος ἦν τὴν ψυχήν.* Sequuntur subinde haec: *ἐπειδὴ δὲ διεφθάρη καὶ ἀνεσώθην εἰς Κατάνην, ἐληϊζόμην ὁρμώμενος ἐντεῦθεν καὶ τοὺς πολεμίους κακῶς ἐποίουν* — (§. 25.) *καὶ ἐπειδὴ Καταναῖοι ἠνάγκαζον ἱππεύειν, ἵππευον κ. τ. λ.*, in quibus duo menda insunt, primum enim quod est in codicibus *ἠλπιζόμην*, id quum sensu omnino destitutum esset, Th. Bergkius optime vidit scribi oportere *ηὐλιζόμην*, motus maxime narratione Thucydidis VI. 94. Sed quum et ibidem extr. *καὶ ἀφικόμενοι ἐς Κατάνην, καταλαμβάνουσι τούς τε ἱππέας ἥκοντας ἐκ τῶν Ἀθηνῶν πεντήκοντα καὶ διακοσίους, ἄνευ τῶν ἵππων, μετὰ σκευῆς, ὡς αὐτόθεν ἵππων ποριοθησομένων* et maxime cap. 98. *καὶ Ἀθηναίων ὑπῆρχον πεντήκοντα καὶ διακόσιοι, οἳ ἵππους τοὺς μὲν παρ' Ἐγεσταίων καὶ Καταναίων ἔλαβον τοὺς δ' ἐπρίαντο· καὶ ξύμπαντες πεντήκοντα καὶ ἑξακόσιοι ἱππεῖς ξυνελέγησαν*, quum igitur his memoriae prodatur, a Catanaeis equos ministratos esse Atheniensibus, quumque Athenienses ab ipsis sociis ad equitandum coactos esse non modo incredibile sit, sed vel absonum fuisset, si unquam factum esset: consequitur, verba *Καταναῖοι ἠνάγκαζον ἱππεύειν* tolerari minime posse. Potius enim talis requiritur sententia, qualis haec est: „quum Catanaei Atheniensibus equos dedissent" — aut, id quod ex ipsis Lysiae verbis rectius videtur concludi: „quum inter Catanaeos equitare cogerer." Quamobrem necio an legendum sit: *καὶ ἐπειδὴ ἐν Καταναίοις ἠναγκαζόμην ἱππεύειν, ἵππευον κ. τ. λ.* Hoc tamen dubitantius protuli. Nunc emendata totius loci sententia haec erit: „Pater me in Siciliam misit, ubi mihi, utpote filio unius ex collegio quadringentorum, inter equites erant stipendia merenda: neque tamen donec exercitus incolumis erat, in ordinibus equitum dimicare poteram, sed eo deleto quum Catanam confugissem, stationem ibi habebam ita tamen, ut inde excursiones facerem multaque hostibus detrimenta pararem. At quum inter Catanaeos equestrem militiam subire cogerer, libenter eam subii nec ulli defui periculo."

Alia, quae hoc modo male repetita sunt a librariis, facilius cerni emendarique possunt, veluti quae sunt in Lycurgi Leocr. §. 94. p. 199. *παρ' ὧν γὰρ τὴν ἀρχὴν τοῦ ζῆν εἰλήφαμεν καὶ πλεῖστα ἀγαθὰ πεπόνθαμεν, εἰς τούτους μὴ ὅτι ἁμαρτεῖν, ἀλλ' ὅτι μὴ εὐεργετοῦντας τὸν αὐτῶν βίον καταναλῶσαι μέγιστον ἀσέβημά ἐστιν.* Hic non dubium est, quin alterum *ὅτι* expungendum

sit scribendumque: ἀλλὰ μὴ εὐεργ., est enim ex antecedentibus μὴ ὅτι ἁμαρτεῖν ortum. Idque probat ipsa sententia: „a quibus vitam plurimaque bona accepimus, in eos ne dicam peccare, sed vel mortem pro iis non oppetere impium est *).“ Pariter mea quidem sententia exterminanda est praepositio εἰς in eiusdem Lycurgi verbis §. 67. οὐ τοῦτο λογιεῖσθε —, ἀλλ' εἰς τὸ πρᾶγμα, ut propter praegressum εἰς huc illatum.

Sic nescio unde irrepsit etiam apud Photium articulus, qui rem ad ius Atticum spectantem obscuravit. Photius enim multae iis qui caussam remittebant irrogatae exemplum in Lysiae oratione κατὰ Ἀντιγένους ἀμβλώσεως deperdita afferens voce Ἐπιτίμιον p. 580. ed. Lips. haec habet: Ἐπιτίμιον τὴν κατὰ τῶν σιωπησάντων γραφήν. In iis autem, quae deinceps sequuntur multam mile drachmarum ei solvendam esse dicit, *qui caussam remiserit sive reticuerit*: τὰς χιλίας δραχμάς, ἃς δεῖ ἀποτίνειν, ἐάν τις μὴ ἐπεξέλθῃ γραψάμενος, quae ipsa verba ex lege deprompta sunt a Demosthene in Midiana §. 47. allata: ἐάν τις μὴ ἐπεξέλθῃ, ἢ ἐπεξιὼν μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, ἀποτισάτω χιλίας δραχμὰς τῷ δημοσίῳ. Cfr. Boeckh. Oecon. polit. Athen. I. p. 406. sq. Hinc Photium scripsisse luculentum est Ἐπιτίμιον κατὰ τῶν σιωπησάντων γραφήν: „multa iis, qui caussam reticuerunt sive remiserunt, irrogata“, ut accusativus γραφὴν ex verbo σιωπησάντων pendeat.

§. 9.

Vidimus, violatam oratorum sententiam caussam esse, cur verba sint mutanda, expellenda, adiicienda. Restat, ut *singula verba negligentia librariorum in describendo aperte depravata* aut *linguae legibus regulisque prorsus repugnantia* emendare studeamus. Ac primum quidem exempli gra-

---

*) Hac autem ratione saepe loquuntur Graeci, ut actionem improbi facinoris vitandam et perhorrescendam esse negent, quo fortius quantopere animadvertendum sit in omissionem probi urgeatur. De hoc usu ne quis dubitet, contendat persimilem locum Demosthenis in Leptin. §. 124. p. 494. ὡς δ' ἁπλῶς εἰπεῖν, οὐχ εἰ τῶν πάντων ἀδικήσομέν τινα μείζονα ἢ ἐλάττονα, δεινόν ἐστιν, ἀλλ' εἰ τὰς τιμάς, αἷς ἂν ἀντευποιήσωμέν τινας, ἀπίστους καταστήσομεν. Comparari quodammodo possunt Lysiae verba or. (14.) κατ' Ἀλκιβ. Α. §. 23. ἧς (sc. τῆς πονηρίας) ἄξιον ὑμᾶς ἀκοῦσαι, ἵν' ἐπίστησθε ὅτι οὐκ ἂν εἰκότως αὐτοῦ ἀποψηφίζοισθε ὡς ταῦτα μὲν ἡμαρτηκότος, τὰ δ' ἄλλα πολίτου χρηστοῦ γεγενημένου, atque haec Tulliana in or. pro rege Deiotaro c. 5. §. 15.: Quonam ille modo — distractus esset, tanto scelere *non modo perfecto, sed etiam cogitato.*

tia Lysiae duo fragmenta examinemus. Alterum fragmentum orationis ad Cleostratum legitur apud Priscianum l. 18. (apud Taylorem 77., apud Bekkerum 33. p. 405.) *οὐδὲ εἴ τις εἰςποίητος πάθος, οὐδεὶς ἀποστερεῖ τὴν μητέρα αὐτοῦ τῶν χρημάτων.* Hic *πάθος* corruptum esse patet. Quod intelligens Taylor *νόθος* substitui voluit. Verum haec suspicio nec verbum, quod desideratur, supplet et rei naturae adversatur. Scripsit orator, nisi vehementer fallor, *οὐδὲ εἴ τις εἰςποίητός τι πάθοι, οὐδεὶς ἀποστερεῖ τὴν μητέρα αὐτοῦ τῶν χρημάτων:* „neque si quis adoptatus moriatur, quisquam matri eius opes auferet:" i. e. bona adoptati matri cedent, si ille forte mortem subierit.

Alterum fragmentum ex oratione contra Aristonem petitum in Photii lex. v. *Ἀργίας δίκη* ita se habet: *Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Ἀρίστωνος φησὶν ὅτι Δράκων ἦν ὁ θεὶς τὸν νόμον, αὖθις δὲ καὶ Σόλων ἐχρήσατο, θάνατον οὐχ ὁρίσας ὥςπερ ἐκεῖνος, ἀλλ' ἀτιμίαν, ἐάν τις ἁλῷ τίσαι· ἂν δ' ἅπαξ, ζημιοῦσθαι δραχμὰς ἑκατόν.* Hic *τίσαι* quid sit nemo facile dicet, oppositio autem *ἂν δ' ἅπαξ* etc. ad liquidum perducit, legendum esse: *θάνατον οὐχ ὁρίσας ὥςπερ ἐκεῖνος, ἀλλ' ἀτιμίαν, ἐάν τις ἁλῷ τρὶς, ἂν δ' ἅπαξ, ζημιοῦσθαι δραχμὰς ἑκατόν.* „Si quis inertiae ter accusatus convictusque erat, infamia notatus est ex lege Solonis, sin semel, centum ipsi drachmae erant solvendae." *αι* enim ex eo, quod sequitur *ἂν* originem habet. Solonem autem lege sanxisse, ut *ter* inertiae reus infamia aspergeretur, auctor est Pollux VIII. 42. *Τῆς δὲ ἀργίας ἐπὶ μὲν Δράκοντος ἀτιμία ἦν τὸ τίμημα· ἐπὶ δὲ Σόλωνος εἰ τρίς τις ἁλῴη ἠτιμοῦτο.* Ceterum v. Meier et Schoemann. Attischer Proz. p. 299.

Librarium errasse equidem puto in describendis verbis Andocidis or. (1.) de mysteriis §. 116. *Ὦ Καλλία, πάντων ἀνθρώπων ἀνοσιώτατε, πρῶτον μὲν ἐξηγῇ κηρύκων ὢν οὐχ ὅσιόν σοι ἐξηγεῖσθαι:* quae alius alio modo corrigere conatus est: genitivus enim *κηρύκων* omnino nullum isque qui sequitur *ὢν* dubium habet explicatum. Atque quod Sluiterus *κῆρυξ ὢν* scribendum esse suspicatus est, in eo verum attigit ille quidem, non tamen prorsus est assequutus. Mutatione enim opus est admodum exigua ac prope nulla: *πρῶτον μὲν ἐξηγῇ κηρύκων ὢν, οὐχ ὅσιόν σοι ἐξηγεῖσθαι:* dicit igitur Cephalus, Calliam, *quippe unum de praeconibus sacris,* quanquam ei non liceat, tamen de iure sacro respondere: quod fere idem est, ac si verbis *κηρύκων ὢν* transpositis dixisset: quanquam ei, quippe qui sit ex numero praeconum sacrorum, non liceat. Iam quum vix opus sit, genitivum ita

usurpari ostendatur: solum afferam Demosth. Mid. §. 111. οὐκ ὢν οὔτε τῶν ἐρημοτάτων οὔτε τῶν ἀπόρων κομιδῇ *).

Vera interdum *ex obscuris codicum mscr. signis* coniectura restituenda sunt **). In Lysiae or. (30.) contra Nicomachum §. 6. codices arguunt, aliquid deesse his verbis: ὑμᾶς τοίνυν χρή, ὦ ἄνδρες δικ., ἀναμνησθέντας καὶ τῶν προγόνων τῶν Νικομάχου, οἵτινες ἦσαν, καὶ οὗτος ὡς ἀχαρίστως ὑμῖν προσενήνεκται παρανομήσας, κολάσαι αὐτόν, καὶ ἐπειδὴ ἑνὸς ἑκάστου δίκην οὐκ εἰλήφατε, νῦν ὑπὲρ ἁπάντων τὴν τιμωρίαν ποιήσασθαι. Libri enim praeter Laurentianum C. omnes pone ἁπάντων aliquid adiiciunt, et in Regio X quidem ἁπάντων γ τήν, additis post γ aliquot literis, quas Bekkerus legi posse negat, in reliquis antea collatis ἁπάντων γ * ωων τήν exaratum legitur: unde Marklandus effecit ἁπάντων γ' ἀθρώων, quae coniectura quum a signis librorum mscr. remotius abest, tum ad Lysianam dictionem minus apta

*) Errorem librariorum in describendo deprehendere mihi visus sum etiam in Taciti Agricola cap. 43., ubi haec leguntur: „nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus *est* aut statim oblitus *est*. Augebat miserationem constans rumor, veneno interceptum.“ Alterutrum *est* expungendum esse multi senserunt, utrum tamen proscribendum sit, dubitarunt omnes. Nihil vero equidem eiiciendum, sed alterum *est* in *et* mutandum esse arbitror, ut locus sic se habeat: „nec quisquam — aut laetatus est aut statim oblitus. *Et* augebat miserationem constans rumor“, h. e. deinde augebat etiam miserationem, vel: huc accedit, quod miserationem augebat.“ Hic usus voculae *et* prorsus est Tacitinus. Cfr. Agric. c. 17. Et terrorem statim intulit; c. 29. *Et* in luctu bellum inter remedia erat: i. e. ad hoc accedit, quod in luctu remedium erat bellum. (Hoc quidem loco fuit quum mallem: *Etenim* luctu, pro dativo habens *luctu*, coll. Caes. apud Gell. IV. 16. Oudendorpio ad Caes. B. G. I. 16., sed nihil novandum). Cfr. denique c. 41. *Et* ea insequuta sunt rei publicae tempora.

